



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Historiæ Societatis Jesu Pars ...**

Complectens Res Gestas Sub Mutio Vitellescho ... Ab Anno Christi MDCXVI.  
Societatis LXXVII. / Auctore Julio Cordara Societatis Ejusdem Sacerdote

**Orlandini, Nicola**

**Romæ, MDCCL**

Historiæ Societatis Jesu Partis Sextæ Liber Primus Annus Chr. 1616. Soc.  
77.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98108](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98108)



HISTORIÆ SOCIETATIS JESU PARTIS SEPTIMÆ LIBER PRIMUS

ANNUS CHR. 1616. SOC. 77.



SEXTAM domesticæ Historiæ partem, Deo bene favente, scripturo, initium mihi erit annus a Christo nato millesimus sexcentissimus decimus sextus, a condita Societate septimus supra septuagesimus, quò usque Juvencius, proximus ante me rerum nostrarum scriptor, quintam produxit. Triginta ipsos annos hac ego parte complector; totidem enim Mutius Vitelleschus, cujus modò decurrendum est regimen, Societati præfuit. Rerum hoc tempore gestarum magnitudo, ac varietas, argumentum dabit ad scribendum ferax, nec, ut spero, legentibus injucundum. Felicem enimvero, ac pacatum eo moderante cursum Societas tenere visa est, si præfertim turbulentiora Aquavivæ tempora repetantur. Sed tamen procellæ non defuerunt, ut ferè in longiore navigatione non desunt. Hæreticorum furor; improborum calumniæ, barbarorum Canadensium crudelitas, Japonum rogi, materia patientiæ fuerunt, & gloriæ. Regiones ego singulas, in quibus non improspere versatus est, superis adjvantibus, nostrorum labor, calamo diligenti percurrar, quidque in unaquaque gestum sit, si modò scitu dignum videatur, in suos annos digestum exponam. Nec tamen si aliqua interdum acciderint exempli sequioris, & ab Instituti nostri rationibus aliena, ea silentio tegam: satis gnarus, & rectè, & perperam factorum exempla ex æquò prodesse, si ita sis animo comparatus, ut illa sequi, hæc declinare velis. Invidus equidem faciam, cum aliquid domesticæ labis exprōmam, quod certè malle oblivioni tradi, quam litteris: At Historicum ago, cujus est vera, non gloriosa sectari. Nec proinde verecundia impediatur ne laudabilia, nec cæco rerum nostrarum studio, ne probrosiora, si qua erunt, cum fide referam.

Erat status Societatis hoc tempore admodum felix. Principio Hispanici motus, qui ante aliquot annos totam pene Societatem concusserat, nec reliquiæ supererant. Pacatè vivebant ubique Socii, magna inter se consensione, majori cum suo capite, quam animorum conjunctionem nullus deinde casus imminuit. Inveniebatur præterea in unaquaque Provincia Virorum litteris ac sanctimonia præstantium mira copia, & qua non alia fortasse atas majorem vidit. Nam ad do-

Proœmium.

2. Status Societatis hoc tempore factis felix.

3.  
Quales Viri flo-  
rerent sub hoc  
tempus in So-  
cietate.

strinam quod attinet, florebat hoc tempore in Theologica facultate, præter Doctorem eximium Franciscum Suarez, Leonardus Lessius, Joannes de Lugo postea Cardinalis, Ægidius de Coninck, Joannes Dicastillus, Antonius de Escobar, Gaspar Hurtadus, Franciscus Amicus, Rodericus de Arriaga, Jo: Martinez Ripalda, Luisius Turrianus, Joannes Ledesma, Ludovicus Ribas, aliique ejusdem notæ. In Dogmatica Robertus Cardinalis Bellarminus, Franciscus Annatus, Dionysius Petavius, Jacobus Sirmondus, Joannes Gonterius, Maximilianus Sandæus, Martinus Smiglecius, Martinus Becanus, Jacobus Gretserus, Theophilus Rainaudus. In Ascetica Eusebius Nierembergus, Ludovicus à Ponte, Stephanus Binetus, Alphonsus Rodriguez, Hieremias Dresselius, Ludovicus Pinerus, Jacobus Alvarez de Paz, Ludovicus Richeomus. In scientia morum Paulus Comitulus, Vincentius Filliucius, Stephanus Fagundez, Paulus Laiman, Ferdinandus Castropalaus, Franciscus Pellizzarius, Valerius Reginaldus, Thomas Tamburinus. In sacrorum Codicum intelligentia Cornelius à Lapide, Ferdinandus de Salazar, Jacobus Bonfrerius, Joannes Lorinus, Didacus de Celada, Stephanus Menocchius, Augustinus de Quiros, Joannes Pineda, Franciscus Ribera, Gaspar Sancius, Didacus de Baeza, Jacobus Tirinus. Quoad reliquas vero litteras, tum graviores, tum amoeniores, eminebant inter Philosophos ac Mathematicos Nicolaus Cabeus, Jo: Baptista Ricciolius, Christophorus Scheinerus, Gregorius à S. Vincentio, Paulus Guldinus, Christophorus Grierbengerus: Inter Historicos Joannes Mariana, Jacobus Salius, Joannes Bollandus, Matthæus Raderus, Favianus Strada, Franciscus Sacchinus, Julius Cæsar Bulengerus, Heribertus Rosweyds: Demum inter Rhætoricos ac Poetas Bernardinus Stephonius, Nicolaus Caussin, Jo: Ludovicus de la Cerda, Michael Coyssardus, Jacobus Pontanus, Tarquinius Gallutius, Sidronius Hofchius, Franciscus Remondus, Matthias Casimirus Sarbievius, aliique complures, quorum laudatissima sunt nomina, scripta autem in Bibliothecis cum honore versantur. Nec minus interim vitæ sanctitate spectabantur, in Italia Julius Mancinellus, Bernardinus Realinus, Marcellus Mastrillus, Robertus Bellarminus Cardinalis, Vincentius Carafa, (idem ille qui Vitellescho in Societatis præfectura successit) Evangelista de Gattis, Franciscus Pavonus, Nicolaus Zucchius, & intermeratus juvenis Joannes Berchmans: In Sicilia Ludovicus Lanuza, Jo: Baptista Carminata, Carolus Romanus, Josephus Scammaca, & Gaspar Paranius: In Sardinia Salvator Pizqueda, Joannes Manconius, & Joannes Garrucius: Andreas Bobola, Nicolaus Lancicus, & Joannes Argentus in Polonia: Martinus Stredonius, Hieronymus Dresselius, Andreas Nigrinus, Albertus Chanowfchius, & Gulielmus Lamormainius in Germania: In Belgio Thomas Saillius, & Franciscus Costerus: In Anglia Thomas Pondus, Joannes Gerardus, Franciscus Walsinghamus, & Richardus Blondus: In Gallia Petrus Cottonus, Franciscus Anna de Boyò, & S. Joannes Franciscus Regis: In Hispania Ludovicus à Ponte, Hieronymus de Florentia, Alphonsus Rodriguez, Hieronymus Lopez, Petrus de Urteaga, Joannes Gondinus, Petrus de Leon, Rodericus Ninus de Guzman, Josephus de Calatayud, aliique. In Lusitania Franciscus Mendoza, Hieronymus Diaz, Antonius Moralius, Leo Henricus, Joannes Correa, Antonius Mascarenia. Denique in Provinciis Americanis Alvarus de Paz, Ruizius de Montoja, Alphonsus Sandovalius, Petrus Claver: Ut nihil dicam de Carolo Spinula, Sebastiano Kimura, Didaco, & Michaele Carvallio, Hieronymo de Angelis, aliisque non adeo paucis, qui in Japonia, in Mexico, in Æthiopia, inter Cafros, & Mogoles, divinam Religionem pro suis quisque viribus propagabant, ac demum igne aut ferro consumpti, gloriosam pro Christo necem obierunt. Ex ipso Fratrum Coadjutorum ordine (hoc nomine suos Laicos appellat Societas) plurimi censebantur sanctitatis fama conspicui, veluti Simon Buccerius, & Marcellus Scalionus in Sicilia, Jacobus Alagonius, & Franciscus Hortulanus in Sardinia, Joannes Cornelius in Germania, Alphonsus Rodericus in Baleari majori, atque alii, quorum in decursu Annalium mentio fiet. Ferebantur eodem tempore secundissima fama labores

apostolici Patrum Francisci Buzonii in Cocineia, Roberti de Nobilibus in Regno Madurenſi, Aloyſii Valdivia in Chileno, Petri Romeri, & Rochi Gonzali in Paraquaria, Antonii Rubbini in Ceilano, Petri Paezii inter Abiſſinos, Hieronymi Xaverii inter Mogoles, Lazzari Catanei, Alphonſi Vagnoni, & Sabbatini de Urſis in Sina: Atque ut omnia paucis complectar, penè ex omnibus terræ plagis læti afferebantur quotidie nuncii, defudantibus ubique filiis Societatis, ut rem Chriſtianam augetent, & ſua profeſſione digni invenirentur. His omnibus, quaſi felicitatis cumulus, accedebat novus Generalis Præpoſitus, in quo nullam optimi moderatoris partem deſiderares. Mitiori quidem natura vir, comis idem, atque ab omni faſtu arrogantiaque alieniſſimus; ſed juris aequè tenax, omnia ad leges metiri ſolitus, nec facilis quidquam de diſciplina remittere cujuſquam gratia, vel metu. Magna illi apud ſuos auctoritas, magna domi foriſque exiſtimatio: quodque ad cuſtodendas ordinis leges, omneſque in officio continendos, momenti plurimum afferre ſolet, multum gratia poterat, cum apud omnes Principes, tum apud Pontificem in primis, ac reliquos Romanæ aulae Procères. Eam porro ſibi paraverat nativo candore animi, & agendi modo proſus ingenuo ac liberali, prudentia deinde, ac rerum uſu, quo præſtabat in paucis; poſtremò religioſarum virtutum magnitudine, quibus omnium in ſe oculos convertebat. His ergo inſtructus imperandi artibus, ſedebat ad clavum Societatis Vitelleſchus, & in totum lætè Ordinem curas & conſilia dividebat; nullam rem prætermittens, qua non modo auctoritatem imperii ſui, ſed & concordiam inter ſocios, & inſtituta majorum, & litterarum ſtudia proveheret.

In iſtis autem magistratus ſui primordiis, nec dum ſoluto generali conventu (qui in hunc, de quo ſcribimus, annum exceſſit), eam ſibi formam vitæ præſcripſit, unde licuit conjecturam facere, felicem ac fauſtam ejus adminiſtrationem Societati fore. Exemplo ſit quod ſubjicio. Conſueverant hæcenus Generalium plerique cibum ſumere in ſuo conclavi, ſeorſum a familia reliqua; namque id illis, juſtas ob cauſas, leges noſtræ permittunt. Mutius communi omnium menſa uti cœpit; quin egit in comitiis, ut id perpetuò ſervandum, decerneretur. Quod tamenſi Patres, collaudata ejus voluntate, decernere noluerunt, perrexit ille tamen uti cœperat, & exemplum reliquit, quod ex eo tempore apud ſucceſſores fere in morem abiit. Verum id levius. Illud multo præſtantius, quod graviffimè læſus, patrociniū ſuſcepit adverſariorum ſuorum, nec ſolum omnem ab illis poenam deprecatus eſt, verum & eoſdem deinceps amicorum numero, & loco habuit. Res eſt digna ſcitu, & paulo altius repetenda. Quo tempore generalia Comitia ad ſubſtituendum Aquavivæ ſucceſſorem indiſta fuerant, pauci aliqui Sociorum, nec ſcio utrum bonæ an malæ mentis homines, turbidi certe, audacesque, collatis inter ſe conſiliis conſpiraverunt, ut Vitelleſchum ab ſummo honore dejicerent: Hunc enim unum videbant tacitis omnium votis Præpoſitum deſignari. Bonum obtendebant publicum Societatis, cui aiebant minime conſultum iri, ſi rerum potiretur Mutius, homo ſcilicet honorum, ut dictabant, appetentiſſimus, qui plus æquo coli vellet, qui potentiorum amicitias in omni vita captaret, qui frequentia clientelarum abuteretur ad potentiæ oſtentionem. Quam temere ac falſò conſicta hæc eſſent, videbant omnes, quotquot erant animò a præjudiciis vacuo. Verſabantur quippe in omnium oculis mores ejus integri, religioſi, candidi, & ab omni non modo ambitione, verum etiam ambitionis ſuſpicionem remotiſſimi. Illi nihilominus, falſa opinione occupati, concurrere huc illuc, ſuffragatores, ut quiſque in Urbem advenerat, fucatis ſermonibus circumvenire, multa ſpargere, quæ innocenti invidiam facerent, idem omnes composito machinari. Atque ubi vident carere ſucceſſu ſua conata, rumoremque domi gliſcere, Mutium præ cunctis Præſidem totius Ordinis electum iri, ad extrema converſi, rem inceptant apud nos inauditam. Adeunt Oratores Galliæ Hiſpaniæque, ſollicitant illos, & ſuas trahere in partes conantur, pro certo ſumentes, interventu ac deprecatione Virorum

4.  
Quam idoneus  
eſſet ad gubernandum  
Societatem Mutius  
Vitelleſchus.

5.  
Modestia ſpe-  
cimen a Vitel-  
leſcho editum,  
vix inito Ma-  
giſtratu.

6.  
Indicatur con-  
ſpiratio ab ali-  
quibus facta, ad  
impediendam  
Mutii electio-  
nem.

talium flectendos Electorum animos, & a suscepto consilio dimovendos. Ipsum quin etiam adoriri Pontificem Maximum ausi sunt, exaggerantes quod instabat periculum, rogantesque, ut pro egregia sua in nostrum Ordinem voluntate, vellet juberet, alium quemlibet Societati Rectorem imponi, præter quam Vitelleschum. Nihil his molitionibus miseri, nisi pudorem, & facti poenitentiam retulerunt. Pontifex Paulus V., cui non facile quisquam mortalium imponeret, auditis eorum obtrectationibus, hæc totidem verbis respondisse dicitur: *Si Mutius est qualem dicitis, frustra timetis ne fiat vester Præpositus.* Legatus Gallicus (erat is Franciscus Hannibal Dux Estræus) disertè negavit, ullam se partem suscepturum in negotio, de quo nullum à Rege mandatum accepisset. Hispanicus Franciscus de Castro, tamen visus initio favere velle factiosis, mutavit paulo post mentem, & ab incæpto destitit. At Electores adeo nihil tot machinis moti sunt, ut inde potius incitamentum habuerint ad eum eligendum virum, quem cum per se dignissimum summo honore, tum hominibus parum religiosi minime acceptum esse intelligebant. Et multorum fuit opinio, nisi Adversarii tot artibus, & quasi aperta vi grassari contra Mutium instituisent, non ita facile Patres in ejus electionem fuisse consenturos. Humani certè ingenij proprium est niti contra injustam vim, & faciendi jus, cum impetitur, inter causas rationesque faciendi ponere. Id saltem effectum tot obtrectationibus, ut Patres exteri in Mutium inquirerent curiosius, eumque interius ac plenius agnoscerent. Ita demum, peractis quæ lege & more servanda fuerant, xvii. Cal. Decembris Mutius Vitelleschus Societatis Præpositus fuit salutatus, paucorum quidem ingratis, sed bonorum omnium summa gratulatione, & gaudio.

7.  
Pauli V. Pontificis prudens responsum ad Accusatores Mutii.

8.  
Mutius jam Generalis adversariorum suorum patrocinium suscipit.

9.  
Congregationem Generalem dimittit, edito prius insigni demissionis exemplo.

At agerrimè ferens Congregatio Generalis quæ contra leges primò, tum contra Mutii ipsius dignitatem incepta fuerant, nullam curarum potiorum habebat, quam ut de tam gravi flagitio institueretur severissima quaestio, & turbulentum homines pro modo culpæ plecterentur. Res enim agebatur exempli pessimi, & quæ publicæ offensionis fuerat. Ne statim fieret hoc decretum unus intercessit Mutius, impetravitque, qua precibus, qua auctoritate, ut mitescerent tantisper animi, ac toti essent interea in gravioribus Societatis negotiis. Reipsa extractis Comitibus usque ad vii. Cal. Februarii, una fuit hoc toto spatio omnium cura, ut publicæ prospicerent rei, quem in usum multa salubriter constituta, ac universo deinde Ordini denunciata fuerunt. At dilata animadversio fuerat, non remissa, non oblivioni tradita. Extremo Comitiorum die iterum agi placuit de coitione illa quam diximus. Relatione autem facta, perrogatisque sententiis, censebant miro omnes consensu Patres, judicium de tam gravi causa, decernendum videri, omnino poenas de fontibus exigendas. At Vitelleschus post omnes, ut mos est, dicere exorsus: Imo vero, ait, rem perpetua oblivione delendam ego existimo. Esto enim illi ab officio discesserint, esto parum sapienter & consideratè fecerint: At amore Societatis abrepti sunt, cujus arbitrabatur interesse plurimum, ne fieret summus Præses, quem tanto muneri imparem, nec immeritò, judicabant. Non sane probandum, quod modum omnem prætergressi sint, sed quod non malo animo male egerint, ignoscendum. Tum ad preces conversus, peroravit eorum causam tam graviter, tam appositè, ut reverentia fuerit Patribus orationi communis Parentis refragari diutius, & obistere. Itum igitur est in ejus sententiam, datumque ejus gratiæ, ut rei tam odiosæ nulla deinceps quaestio, nec mentio fieret, sed omnino facti memoria è publicis Congregationis actis eraderetur. Latus successu Mutius, cum nihil esset præterea in communi deliberandum, de conventu solvendo proposuit. Prius tamen quam Patres dimitteret, eos supremum alloquens, rogavit omnes vehementer, atque obtestatus est, ut siquidem onus sibi majus viribus imposuissent, fatiscenti opem & auxilium ferrent: Caperent ipsi partem sollicitudinis suæ: viderent etiam atque etiam, ne quid usquam Societas detrimenti ferret, quæque communi consensu decrevisset, ea in suis quisque Provinciis servanda curarent. Sibi enim

enimvero gratissimum fore, si quid rei communis interesset, a quolibet etiam privato admoneri, & daturum operam, ne frustra admonitus videretur. Quæ, & similia locutus, abiecit humi se, pedes proximè assidentis, ac deinceps cæterorum osculaturus. Verum illi uno simul impetu è subfelliis exilientes, jacentem exerunt, abituri quantoocyus, ni absteret. Quod ergo unum supererat, debita Omnipotenti Deo gratiæ peractæ sunt, hymno eucharistico decantato; atque inter mutuos amplexus felicem curarum exitum sibi invicem gratulantium, Mutius Congregationem dissolvit. Post hæc in suas singuli provincias reversi Patres, magnam ubique de Mutio opinionem excitarunt, magnam Societatis per eum feliciter administrandæ spem. Nec jam aliter sentiebant iidem illi, quos antea habuerat obtrectatores invidos, & rebus suis iniquos. Fatebantur ultro miseri, se secus quam par esset de Parente optimo judicasse, ad eumque timidi adventabant, ac pudore suffusi, veniam oraturi scilicet, & gratias acturi, quod non pro suo merito poenas malefactorum luerent. Verum ut fari cœperant, abrumpebat molestum sermonem vir ingenio mansuetissimus, in genua provolutos erigebat, amantissime amplexabatur, bono & alacri animo jubebat esse, se, inquit, ita illis injuriam omnem remittere, quemadmodum sua sibi crimina a Deo O. M. condonari cuperet. Atque hæc adeo sincerè, & ex animo, ut eorum nonnullos habuerit deinde in omni vita amicissimos, & maxime familiares.

Dum autem primis distinebatur regiminis curis, & quasi ex altissima specula laborantem ubique gentium pro animarum salute Societatem circumspiciebat, vidit in ipsa Urbe Roma confectum opus piarum exercitationum feracissimum, & quo nescio equidem an aliud sit ad fovendam Romanorum pietatem utilius, Oratorium scilicet, quod Indiarum Apostolo S. Francisco Xaverio dedicatum, à P. Gravita nominari vulgo solet. Ædes est justæ magnitudinis Collegio Romano proxima, eique ponte conjuncta, cujus ministerio certi destinati sunt Patres in eodem Romano Collegio habitantes. Ædis porrò usus multiplex. Primò aperitur quotidie sub occasum solis ad magnam hominum omnis generis multitudinem, exclusis dumtaxat feminis. Adest Sacerdos, qui pro concione loquitur, ad excitandam detestationem criminum, pellendasque salutari metu flagitiosorum mentes. Si quos, ut ferè semper, tangat Cœlestis Gratia, & ad deponenda onera conscientiæ permoveat, parati sunt in poenitentia sellis alii plurimi Sacerdotes, qui confitentibus aures præbent. Adduntur piæ preces, voluntaria verbera, aliaque ad placandas cœlestes iras opportuna piacula, donec post unam, & alteram horam, omnes abscedunt. Haud facillè dixerim, quanta inde utilitas manet in publicum, concurrentibus ad nocturnam ejusmodi exercitationem summis infimisq; eo liberius, quo occultius. Est deinde eidem Oratorio addicta sodalitas, cui Roma quantum debeat, nemo satis judicaverit. Viri omnes sunt probatæ virtutis, delectique inter optimos Civitatis, Opifices plerique, labore manuum victitare soliti, & pars maxima Patres familiarum, ut eorum pietas ad domesticos quoque pertineat. His sodalibus frequentatur eadem ædes diebus Dominicis, & festis omnibus, atque ita frequentatur, ut vix ullum per eos dies otium capiant ab officiis, ac laboribus piis. Conveniunt mane summo, quodque interfluit temporis usque ad meridiem, divinarum rerum meditationi, & lectioni, tum decurrendis in communi laudibus B. Virginis, audiendæ concioni, & sacris participandis impendunt. Redeunt in ædem a prandio, & inde mox ad urbanam, ut loquimur, Missionem egrediuntur: qua exacta, iterum redeunt ingruente nocte, nec ante abscedunt, quam illa, quam supra memoravimus, nocturna exercitatio peracta sit: Ut quos habent toto anno solos ad respirandum dies, eos Viri optimi omnino sanctè, ac meritis Religionibus transigant. Neque vero ejus, quam dixi, Missionis urbanæ modicus labor, aut pretium contemnendum. Sed interest scire quid illa sit, & quantum ad eam sodales Oratorii conferant. Est ita à Majoribus institutum, ut omnibus diebus festis, quotquot intra annum incidunt, aliquam Romanæ Ur-

10.  
Mansuetudine  
suos sibi obligat  
adversarios.

11.  
RES PROVINCIAE  
ROMANÆ.  
Institutio cele-  
bris Oratorii,  
quod à P. Gra-  
vita passim no-  
minant Romæ.

12.  
Quale sodali-  
tium in eodem  
Oratorio sit in-  
stitutum.

13.  
Quid sit Mis-  
sio Urbana, &  
quam fructuosa.

Urbis partem nostri homines excolant Catechesi, Concionibus, aliisque id genus ministeriis, quæ in sacris Missionibus passim usurpari solent. Munus laboriosum æquè, ac frugiferum Patribus Oratorii curam gerentibus commissum est. In duodecim Urbis regionibus totidem sunt in hunc usum destinata Tempia, quæ per eos dies nostris hominibus permittuntur. Peragi solet popularis celebritas concursu incredibili omnis ætatis ac sexus, & pari fructu, quod criminum confessiones indicant, magno semper numero, & singulari doloris sensu fieri solitæ. Transfertur ex uno in aliud Templum singulis in orbem mensibus. Prius tamen quam transferatur, ipso mensis ultimo die festo, synaxis celebratur, tanta plerumque frequentia, ut nisi ædes satis ampla sit, multitudinem ægrè contineat. Adfunt sæpe aliqui Cardinalium, & peracta ibidem re divina, suis ipsi manibus sacram Hostiam circumferunt, & populo impertiunt. Ipsi se aliquando in turbam conjiiciunt Proceres Civitatis, ut ad mensas accedant longo ordine dispositas, & divinam dapem accipiant. Denique, ne longior sim, ex omnibus rebus, quæ ad corrigendos mortalium mores, fovendamque in magno populo pietatem excogitari possunt, vix alia est perpetua ista Missione salubrior: Ut nihil vereamur dicere, etiamsi cætera deessent, nunquam defuturam Romæ pietatem eximiam, hac una salva. Jam, tametsi præcipuas in hoc opere partes gerant homines Societatis, multum etiam adjuvant Oratorii sodales, & Apostolici muneris partem sumunt, ut laici non exiguum, nec sterilem. Missioni initium ipsi faciunt, longo ordine incedentes ab Oratorio ad præstitutum Templum, ac divinas interim laudes, excusso pudore malo, concinentes. Solent eodem tempore circummitti per frequentiora Urbis fora nostri Juvenes ad concionandum. Hos semper affectantur aliqui sodalium, ut male feriatos homines ad concionem cogant, & silentium concionanti præsent. Simul ac finis dicendi factus, vocem intendunt, Lauretanum præcinentes carmen, ac sublimi Cruce, totam ferè concionem magno agmine post se trahunt ad destinatum Missioni Templum. Iidem, ubi sacra synaxis indicta est, mensas Eucharistici Convivii sternunt, Sacerdotibus confessiones audituris sedilia provident, in sacris carminibus præcutores, in rebus omnibus administri.

14.  
Quantum ad eam conferant pro sua parte, sodales Oratorii.

15.  
Cur P. Petrus Gravitæ Oratorii primus auctor existimetur.

16.  
Quæ fuerint initia Missionis Urbanae.

17.  
Nicolaus Promontorius adhuc Scholasticus præclarum opus instituit, & promovet.

Hæc ergo omnia, ita prorsus ut nunc fieri cernimus, partim de novo inventa, partim in morem inducta, partim firmioribus legibus constituta vidit hoc ipso anno labente Mutius, eaque consilio, opera, & industria Viri nominatissimi Petri Gravitæ, qui propterea primus quasi auctor & parens Oratorii creditur. Cæterum, ad Missionem quod pertinet, ejus paulo antiquiora fuerunt initia, nec alienum, puto, erit pauca de illis ad memoriam posteritatis attingere. Operis tam insignis fundamenta jecerant quidam ex nostris Collégii Romani Scholasticis, ante annos ferè duodecim. Nam ut solebant diebus festis per infrequentiores Urbis vias inambulare animi causâ, conspicati multos ad ripam Tiberis navicutores, multos item rusticorum greges in foris campis otiantes, eos piis detinere colloquiis, & privatim ad pietatem hortari cœperunt. Id semel, iterum, ac tertio cum fecissent, redeuntibus jam octavo quoque die in eadem loca nostris junioribus, affundebantur ultro ex otiosa plebe quamplurimi, & se circum agglomerabant, audiendi studio. Illi, quo audirentur commodius, ut forte scannum viderant, aut aliud quidlibet ab humo extans, eò conscendere, illud pro suggestu habere, nec jam privatim, sed publicè verba facere instituerunt. Concionum is erat plerumque exitus, ut cum discedendum erat, secum aliquos audientium abducerent in proximius Templum, ad animæ labes confessione purgandas. Sic illi per diu, duce omnium, & quasi ad Apostolicum laborem antesignano, Nicolao Promontorio, Juvene, ut tunc erat, ingentis spiritus, & eximiæ spei: Qui successum videns consiliorum suorum oppidò lætum, & spe prope majorem, traxit in ejusdem societatem operis aliquot Collégii Patres ex gravioribus, perpulitque eos, ut statâ hora adesse vellent incertis quibusdam Templis, ad hominum confessiones audiendas. Hinc, ut facile est ex bene ceptis ad meliora progredi, venit in mentem Patribus Dario

Tam

Tamburello, & Julio Ursino (erant hi animarum studiosi supra communem modum), posse commodè cœpti tam salutaris utilitatem ad universam Romanam plebem traduci, si ad celebriora urbis compita mitterentur Concionatores circumforanei, qui peracta concione, suos auditores ad Romani Collegii Templum deducerent: Ibi enim nunquam defuturos, qui consentientibus aures darent. Consilium re exequi placuit, uno præ cunctis designato, qui ad affusam omnis generis multitudinem verba faceret in foro Agonali, totius urbis celebratissimo. Ac tum primo visi nostri Juvenes, prælata Cruce, ductare per urbem mediam agmina hominum non infrequentia, & ad modestiam pietatemque composita; quod spectaculum insolens, & novi moris, omnium tunc quidem oculos in se traxit. Hæc sanè, utpote nova, nonnullis domesticorum minus placebant: At magnopere probabantur Generali Aquavivæ, quem, præter magnitudinem fructus inde colligendi, oblectabat etiam ille ardor nobilis nostrorum Juvenum in adeundis pro salute animarum laboribus quibuscunque; hæc enim mente, ajebat, debere adolefcere qui in Societatis seminariis educantur, ut nullum pro tam excellenti causa incommodum a se alienum putent. Nec se-cus censebant major meliorque pars Civitatis. At Pontifex Paulus V., rei certior factus, non modò eam laudavit majorem in modum, verum etiam universis, qui concionibus, precibusque per eam occasionem fieri solitis interessent, omnium peccatorum veniam attribuit duodecies in anno percipiendam, si modò rite confessi divina participassent. Atque hinc orta menstruæ synaxeos institutio, hinc illa sodalitas urbana Missionis ministerio destinata, de quibus dictum est supra: Quæ tametsi Promontorius inchoaverit, & quibusdam legibus constitutis ad certam formam redegerit, tamen operis perfecti laudem Gravità successori suo reliquit. Opera pretium duxi de hac re dicere paulo copiosius, tum propter ipsius utilitatem, quæ certè maxima est, tum etiam quod, manante exemplo ab urbe Roma ad reliquas Italiae civitates prius, deinde etiam ultra montes, paulatim menstruæ Communionis institutum, ubicunque invenitur Societas, usu receptum est. Et casu nescio quo factum, ut per eos ipsos propagari inciperet, qui ejus primum quasi semen jecerant. Hoc certè anno Collegii Romani Juvenes eandem consuetudinem invexere Tusculum, dum ibi per autumnales ferias rusticabantur, & letis quidem initiis. Profecti enim prius ad omnia circum oppida, ut diversos populos ad sacrum epulum invitarent, eos viderunt die S. Matthæo sacra, quam in diem indicta fuerat religiosa celebritas, magnis undique agminibus adventantes Tusculum, ut Eucharistica dape, & Indulgentiæ beneficio fruerentur. Eodem anno Promontorius illam intulit in provinciam Mediolanensem, & primo quasi experimento Cremonæ factò, eandem haud multo post Ticinum traduxit. Atque ita brevi ad totam fere Italiam pervasit novum religionis genus, quod aliis atque aliis Indulgentiarum largitionibus à Paulo V. Pontifice locupletatum, miro ubique consensu, & secundissima approbatione acceptum est.

Afferebatur interim novo Præposito Generali cura non levis ex Provincia Sicula, propter exacerbatum erga nos animum Petri Gironi Oxunensium Ducis, qui rem illius insula publicam pro Rege Catholico administrabat. Occasionem offensionis dederat Hieronymus Tagliavia collegii Panormitani Rector, nullo tamen, ut prudentioribus videbatur, suo merito, quod ex facti narratione constabit. Est inter fundos collegii Panormitani sacerdotium S. Mariæ ad criptam, quod olim cum esset monasterium Benedictinum, eo nomine Rector, quasi Abbatem antiquum referens, jus habet suffragii in comitiis Regni, quæ Siculi *Parlamentum* vocant. Nullus Rectorum hætenus hoc jure usus fuerat, cunctis à se alienum existimantibus negotiis regni publicis implicari. Tagliaviam Prorex adesse comitiis jussit, ac diu multumque tergiversantem pro imperio compulit, ut unà cum reliquo Insularum ordine deliberaret de subsidio nescio quo extraordinario, Regi persolvendo. Affuit ergo in conventu; sed rogatus quid de illo subsidio censeret, ne in rem populis odiosam consentire videretur, ne-

To. I.

C

gavit

18.  
Diverfa hominum judicicia de novo Missionis Urbanae instituto.

19.  
Menstruæ Communionis Generalis consuetudo latiffime propagatur.

20.  
RES PROVINCIAE SICULAE.  
Prorex Societati succenset. Quæ fuerit causa.

21.  
Eum Mutius  
denuo Societati  
conciliat, & a-  
micissimum ex-  
peritur.

22.  
Controversia  
de situ Collegii  
Drepanitani, &  
jusque causa.

23.  
Favet Societati  
Prorox, & Ci-  
vium conata  
compescit.

gavit apertè scire se, quæ, aut quanta esset ejus necessitas: Quam vocem Prorox, bene cateroqui erga res nostras antea affectus, in malam partem accipiens, perinde quasi nostri homines populorum favorem Regis rationibus anteferrent, ingentem irarum molem concepit adversus Societatem universam. Agebat itaque nobiscum duriter, ut minimè dicam, atque inclementer, quodque gravius, quibuscunque aliquid rei nobiscum erat, ii Proregis alienationem occasione suam existimantes, ad divexandam litibus, judiciis, injuriisque Societatem animabantur; nec est ut referam, quam multis ob eam causam incommodis conflictata fuerit toto regno Societas. His cognitis Mutius, placandum specie aliqua satisfactionis infensum Proregis animum, simul Tagliaviam invidia subducendum ratus, hunc minimè renuentem dimovit è collegio Panormitano, ac Romam accitum collegio Gregoriano Rectorem imposuit; utrumque scilicet spectans, ut potentiore exhiberet obsequium, eademque opera innocentis dignitati consulere. Gratissimum habuit Mutii consilium prudens, & erga se officiosum. Gironus, ut qui fortè non tam esset ex animo iratus, quam ex officio videri vellet; atque aliam momento personam induens, primò per litteras humanissimas purgavit se apud Mutium omnis facti dictique, quo Societatem in æstu illo iracundia violasset: Tum aris certum numerum, qui nostris ab arario publico debebatur, ad nummum dissolvi jussit. Quoddam erat præterea propugnaculum Panormitanæ domui probationis conjunctum, quod nobis cum ademisset Prorex infensus, nunc placatus restituit, iterum excitatis murorum brachiis, quæ ante per vim magis, quam jure disjecerat. Tandem P. Carolo Mastrillo provinciæ Siculæ Præposito sanctè recepit, nulla re Societati se defuturum in posterum, & multo fore amiciorem posthac, quam antea fuisset. Et verò consensere facta verbis, nec expectanda diu fuit occasio, qua vir benevolus suam erga nos egregiam voluntatem expromeret. Agebatur forte gravis admodum causa collegii Drepanitani, quod cum esset ex integro ædificandum, contendebant Civium plerique, in aliam urbis suæ partem transferri oportere. Causa cur ita fieri vellent, pars soli publici, eaque perexigua, qua domicilium a Templo discludebatur. Nam cum solum illud nostri olim à Prorege Ferienfium Duce concessum muro cinxissent, & intra collegii ambitum conclusissent, offenderat ea res Civitatem usque adeo, ut arma caperent seditionis in morem. Et quamquam mox Patres, muro diruto, solum, de quo lis erat, in publicum restituerant, instabant nihilominus Quatuorviri ( summus est Drepani Magistratus ), ut siquidem novum extruendum esset collegium, ædificium aliò traduceretur, metu, ut aiebant, ne Jesuitæ reciperent aliquando quod tunc inviti dimisissent. Inexorabiles faciebat quod scirent, averso à nobis animo Proregem esse ( nec enim mutatum audierant hæcenus ), putarentque, in actione, quam contra nos parabant, minime defuturum sibi ejus favorem ac patrocinium. At sua illos lussit opinio. Itum est ad Proregem, qui causa cognita, non solum Quatuorviros nihil juvit, verum etiam admonuit Rectorem collegii Drepanitani, ne differret in veteri suo loco novum ædificium struere. At jussa dum facit Rector, & jam fundamenta jaciuntur, ecce tibi nova repente mora. Proponitur a Magistratu edictum gravissimis conceptum verbis, ne quis ædificationem juvare aut opera, aut quavis alia commoditate audeat. Si qui secus fecerint, iis certa multa irrogatur. Hic enimvero exarsit Gironus. Rei indignitatem non ferens, increpuit graviter Quatuorviros, utque edictum illud suum quamprimum refingerent, neu molem regia auctoritate surgentem morarentur, imperavit. Quibus porrò litteris id ita fieri jubebat, addiderat, iterum se Collegio permittere illam soli partem, quam olim Feria Dux permisisset: sed hoc caput Mastrillus, ad præcedendas querelarum causas, ex litteris tollendum curavit. Rem in hunc modum ferè compositam novis deinde implicare difficultatibus conabatur Civitatis Procurator, Romam ob eam maximè causam missus. Verum inter hæc, quatuorviratum adepti viri graves, & nobis æquiores, civium plerosque ad nostras partes adduxerunt, & omni nos in posterum molestia liberaverunt. Mansit itaque

in

in suo loco collegium, quodque erat optandum maxime, mansit Civitate non invita. Nam quid indignius, quam eos habere inimicos, quibus prodesse velis? Atque ex eo tempore nova quædam, ac mira inter nos ac Drepanitanos coalluit animorum conjunctio. Argumento sit, quod tandem, annis pluribus præterlapsis, ita nobiscum cives amantissimi transegere, ut eadem illa viâ publicæ pars, pro qua tantopere certatum fuerat, in usum ac jus collegii transfiret.

Pari exitu composita lis fortasse gravior in Provincia Veneta. Erat Castellione a sex, vel septem annis Societas in domicilio stabili, præcipuam navans operam collegio lectissimarum Virginum, quod tres innuptæ Rodulphi Gonzaga filia haud ita pridem sibi, & Mantuanæ nobilitati condiderant. Loci dominus Franciscus Gonzaga, S. Aloysii, & ejus quem dixi Rodulphi germanus frater, fovebat Societatem impensè: vicissim nostri nullam prætermittebant obsequii partem adversus eum. Rebus tam belle fluentibus, res accidit, quæ momento turbavit omnia, nihilque factum est proprius, quam ut eam sedem relinquere cogemur. Legem tulerat Princeps, qua se nostri peræque ac cæteri Religiosi exemplis arbitrabantur. Eam nostri etiam sponte servabant, quod tamen ille pollebat, ut pollicerentur præterea se perpetuò servaturos, id non putabant licere, salvis Ecclesiæ juribus. Dum cunctantur, & moras nectunt, iratus ille, eoque acerbius, quod se contemptum, & obtentu religionis ludificatum putabat, nostro homines paulatim averfari, obloqui de rebus nostris, palam se pro infenso gerere coepit. Erat illi ex omnibus maxime familiaris, & arcanorum omnium conscius Pater Virgilius Ceparius, qui, auditis Romæ quæ de rebus Castellionensibus nunciabantur, iratum placare dum studet, atrocius irritavit. Usus enim veteris amicitia jure, & fortasse amplius quam tempori congruebat, litteras ad eum dedit, non illiberales quidem, sed liberiores, quibus ejus indolis quædam vitia perstringens, hæc agebat impedimento esse, ne meliora interdum consilia sequeretur. Claudebat epistolam duriori adhuc stylo, significans, si forte eum collegii Castellione conditi pœniteret, sine mora dissolvi posse, nihilque obfuturam ex parte Societatis, quin protinus dissolveretur. Libertatem, in amicitia excusabilem, iniquissime tulit eo mentis habitu Gonzaga: tamen iracundiam comprimebat sinu, ne ad extrema prorumperet. At demum alia superveniente causa, penè in furem actus est. Dies erat Sanctorum omnium anniversaria, quo die Princeps cum vellet religionis mysteria participare, veniebat cum omni aulico comitatu in ædem nostram. Venienti P. Petrus Justinellus, qui fuerat illi hæctenus a confessionibus, codicillos misit, in quibus erat, si obstinasset legem illam suam tueri velle, frustra accedere, a sacris arcendum scilicet, & fidelium communione privandum. Conticuit ad hæc Princeps, & retro pedem flexit. At elatus ira, & plus jam nimio violatam clamans dignitatem suam, Patribus haud multo post per Prætozem Castellionensem edicit, ut vasa colligant, & ab oppido astutum excedant. Dum illi pendent animis quid sibi faciendum putent, commotæ tristi nuncio tres quas dixi ornatissimæ virgines, accurrunt ad patrum prope, ejusque pedibus advolutæ, per quidquid ubique sanctum est, per beati fratris Aloysii memoriam, orant obtestanturque, ne suos sibi Patres adimat. Sed nullis neque precibus, neque lacrymis flecti potuit animus supra modum exulceratus Principis. Illud ægre impetratum, ut migrandi proferret spatium, donec ab urbe Roma Præpositi Generalis responsa advenissent. Mutius, auditis omnibus quæ in negotio Castellionensi contigerant, vidit de Cepario & Justinello Principem justè queri; nec enim debuisse nostros quacunque causa cum tali viro tam libere, tam confidenter agere. Itaque ad eum scribens, valde sibi displicuisse profitebatur, quæ duo Patres minus consideratè fecissent. Addebat, ejus arbitrio se permittere, qua illi poena mulctandi ob ejusmodi causam essent. Quod attinet ad legem, unde natum erat omne dissidium, se quidem, agebat, religione impediri ne eam admitteret, quippe Ecclesiæ sanctionibus adversantem: tamen, ne quid omnium, quæ in sua essent potestate, negaret Principi tam bene de Societate merito, curæ sibi fore, ut

T. I.

C 2

Re-

24.  
RES PROVINCIAE  
VENETÆ.  
Marchio Castellionensis Societati irascitur. Quæ fuerit offensionis causa.

25.  
Ejus iracundiam duo nostrorum imprudenter exasperant.

26.  
Princeps abiire jubet nostros à Collegio Castellionensi.

27.  
Iratum Mutius prudentissimo consilio mitigat, & Collegium servat.

28.  
Humilitatis  
exemplum in-  
figne ab eodem  
Principe exhi-  
bitum.

Rectores collegii Castellionensis idem perpetuò fervarent, quod ceteri ab ejusmodi legum vinculis exempti servaturi essent, idque se Rectoribus injuncturum. Multa adjiciebat officii verba, multa ad deliniendum ejus animum opportunissima. Et illico patuit, quam facile acerbitatem deponat, qui amicis irascitur, nec eos odit tamen. His litteris Gonzaga, sibi, ac dignitati suæ cumulatissimè satisfactum professus, ea exhibuit reconciliati animi signa, quæ nemo a Principe, vix a privato quisquam expectaret. Justinellum arcessit, excipitque uti solebat antea comiter, & humaniter. Tum de præterita offensione dicere incipientem interfatus: Quandoquidem, inquit, Præpositus Generalis meum esse judicium voluit, quam poenam subeas, eam ego tibi injungam, quam maximè gravem futuram scio. Sub hæc, in genua procidens, veniam rogat, si quid asperius in illa animi perturbatione dixisset, egissetque contra sibi carissimam Societatem. Collacrymari ad hoc tantum virtutis exemplum omnes qui aderant, omnes verum Aloysii fratrem agnoscere. Justinellus, pudore simul & admiratione perfusus, nec vocem mittere, nisi fractam, & lacrymis impeditam. Atque ita demum, non solum omnis discordia sublata est, verum etiam ira viri amantissimi amoris redintegratio fuit. Cæterùm, mortuo sub finem ejusdem anni Francisco, legem illam, utpote Ecclesiastico ordini gravem, hæredes suffulerunt.

29.  
Fundatur Buxeti domus tertia Probationis, hortatu Rainutii Parmensis Ducis.

Servato in hunc modum collegio Castellionensi, Buxeti domus tertiæ, ut loquimur, probationis erecta est. Ditionis Parmensis oppidum est Buxetum, haud sanè magnum, frequens tamen, & pro modo regionis opulentum. Jacet in amœna planitie Placentiam inter & Parmam, pari ferme ab utraque intervallo. Civis indidem erat Petrus Pectorellus, vir probitatis antiquæ, qui cum rem familiarem parsimonia, & honestis mercimoniis auxisset, nec liberos haberet, aut quemquam proximæ cognationis hæredem, secum deliberabat, quoniam maxime modo bona sua popularium suorum commoditati addiceret. Hæc agitantem Rainutius Parmæ Dux hortando suadendoque perpulit, ut Societatem Buxeti collocaret: simul amantissimus nostri ordinis Princeps P. Carolo Sangro provinciæ Venetæ per illud tempus Præposito significavit, gratissimum fore sibi, si recepta Pectorelli donatione, Societas domum probationis Buxeti poneret; valde enim cupere se, intra fines suæ ditionis esse omnia nostri ordinis seminaria, nec jam aliud deesse, præter tironum domum. Nondum, cum hæc agebantur, decesserat Aquaviva, qui tametsi domos Societatis haud libenter admitteret in parvis oppidis, hanc tamen, ut Principi tam benevolo obsecundaret, admittendam censuit. Re igitur deliberata, ades pro loco satis commodas are suo conduxit ipse Dux Parmensis, pretium locationis tandiu soluturus, quoad Societas habitare cœpisset in suis: ad usum verò sacrorum, Templum S. Antonii Cardinalis Crescentius nostris utendum permisit. Ita, immisissis Buxetum duobus Patribus, qui sacris ministeriis fungerentur, qualiscunque domicilii initium est factum, magno tunc quidem oppidanorum omnium gaudio, sed Pectorelli in primis. Verum is haud multo post, vel suopte ingenio, vel aliorum sollicitationibus, mutari visus, & aliam erga nos mentem induere; neque vero dissimulabat, quod nobis benignè fecisset, insectum malle, nec nisi invitissimum dare, & porro daturum quod promiserat. Dolebat scilicet, nulla aperiri erudiendæ juventuti gymnasia, nullos Buxetanis ludimagistros dari, idque, ut ajebat, contra pactorum fidem, & promissa Sangri. His rebus cognitis Dux, tametsi nulla esse sciret quæ oggerentur promissa, tamen ad deliniendum optimi senis animum, Patribus auctor fuit, ut latinitatis ludum aperirent Buxeti, & tertium prioribus adderent Sacerdotem, qui diebus festis ad populum verba faceret. Principis consilium executi sunt Patres, eaque res vix credibile, ut Pectorellum demulserit. Jam nihil æque in deliciis habere, ac nostrorum ministeria, & consuetudinem. Ita nobiscum transegerat ab initio, ut vivens partem duntaxat destinati census traderet Societati, partem aliam post suum obitum testamento relinqueret. Nunc donationis stipulationem faciens, pensionem addidit

30.  
Petri Pectorelli Fundatoris querelæ, ob negatos Buxetanis Ludimagistros.

31.  
Aperto ad tempus litterario ludo, Fundator Societati ex animo reconciliatur.

du-

ducentorum aureorum, persolvendam quotannis vivente se; nec tamen in publicis tabulis mentionem ullam scholarum fieri voluit. Tabulas ratas habuit Mutius, & Pectorellum Buxetanæ domus Fundatorem appellans, eundem usitato donavit diplomate, quod cum illi oblatum est, magnam præ gaudio vim la-chrymarum fudit, ac paulo post testamentum condens, domum à se fundatam hæredem ex asse scripsit. Ea porro domus in usum tertie probationis deinde versa est, quæ tametsi Tirocinium propriè non sit, Tirocinii speciem quamdam apud nos habet.

Dum hæc in Provincia Veneta gerebantur, in Mediolanensi recuperatum nobis est domicilium S. Romuli, quod ante sesquiannum necessariò magis quam honestè dimissum fuerat. Quod S. Romulum vocant, oppidum est frequens, & locuples in ea parte Liguriæ, quæ vergit in occidentem solem. Civis hujus loci honestissimus Alexander Bernardus, testamento ante triennium factò, bona sua legaverat Genuensi collegio, cum hoc tamen, ut ex fructibus hæreditatis qualemcumque Societatis familiam aleret in S. Romuli, eoque mitteret operarios, qui usitata Societatis munia exercerent. Nihil distulerant Patres Genuenses Testatoris jussu facere, miserantque confestim ad illam urbem Hieronymum Galeratum, & alterum Sacerdotem, cujus nomen intercidit. Verùm hi, ut magnopere se, & labores suos probarent oppidanorum plerisque, non item accepti erant Religiosis quibusdam alterius Ordinis ibi commorantibus: Utque, ita plerumque fit, ut plus ad nocendum valeant pauci adversarii, quam amicorum ingens numerus ad juvandum, illi factionem paucorum capitum contra nos concitantes, rumorem latè sparserunt Societati invidiosissimum, post adventum Jesuitarum seissum esse in partes populum S. Romuli, regnare feralem in Civitate discordiam, nullam revocandæ quietis pristinae viam inveniri. Id ipsum Genuam ad Senatum scripsit oppidi Gubernator, addens, circa retinendam Societatem dissentire inter se cives, & divisa hominum judicia esse. Agrè inducebat animum Senatus Genuensis, ut minus honorificè de nobis sentiret, statueretque. Tamen deliberantibus Senatoribus quid factò esset opus, vicit sententia quæ censebat, evocandos inde nostros, saltem ad tempus. Sic illa statio, paulò post quam posita fuerat, concidit, magno quidem bonorum moerore, sed non diuturno. Mense enim post hæc decimosextimo, rem iterum ad Senatum referente ipso Duce Republicæ, summo omnium consensu decretum est, placere Patres Societatis reverti ad S. Romulum, atque ita consuli, cum nostri Ordinis fama, tum etiam illius oppidi commodo. Ut eandem stationem Mutius postea dissolverit, ut aucto postmodum per oppidanos censu, illam iterum Vincentius Carafa restituerit, & in formulam collegii receperit, suis infra locis narrandum erit.

Interim in Provincia Neapolitana Lupiensium Civitas ademptum sibi doluit Virum sanctimonia insigni, P. Bernardinum Realinum, de quo in Beatorum album referendo, nobis ista scribentibus, apud Pontificem Maximum agebatur. Extat sæpius impressa, omniumque manibus teritur ejus vita a Jacobo Fuligatto exarata, ad quam nos Lectorem rejicientes, summa tantum capita delibabimus. Natus Realinus in Carpentii oppido prope Mutinam, inde Neapolim, nescio qua causa, translatus, Viri cujusdam principis domum, & negotia administra-bat; cum oranti perspicuam se præbuit Virgo Dei Mater, & terrenis curis implicatum monuit, ut Filii sui Societatem ingrederetur. Fecit ille, divisa prius re sua familiari inter pauperes, ne quid amplius haberet cum mundo commu-ne, adscitusque in nostrum Ordinem, primòs decem annos Neapoli exegit, reliquos quadraginta duos Lupiis, cui semel urbi datus, nunquam deinceps admi-potuit. Sæpe illum Præpositi Generales Everardus, & Claudius aliò evocaverunt: semper aliquo inopinato eventu, morbo interdum, sæpissime imbri-bus, prohibitus fuit egredi, aut redire compulsus. Quæ causa fuit, ut Realinum Lupienses sibi divinitus traditum, & conservatum crederent, haberentque inter manifesta divini Numinis beneficia, talem ac tantum ejus famulum per-petuo

32.  
RES PROVINCIÆ  
MEDIOLANEN-  
SIS.

In ora Ligusti-  
ca Societati admi-  
tatur domici-  
lium S. Romuli.

33.  
Sed, mox reddi-  
tur decreto Se-  
natus Genuen-  
sis.

34.  
RES PROVINCIÆ  
NEAPOLITANÆ.  
Obitus V. P.  
Bernardini Re-  
alini, ejusque  
vitæ compen-  
dium.

35.  
De eximiis ejus  
virtutibus pau-  
ca indicantur.

36.  
Realinum mor-  
ti proximum.  
Lupienſes Ci-  
vitas ſuz Pa-  
tronum eligunt.

36.  
Realinum mor-  
ti proximum.  
Lupienſes Ci-  
vitas ſuz Pa-  
tronum eligunt.

petuò esse apud se, nec ullis hominum consiliis amoveri posse. Religiosa vita cursum quo ardore arripuit ab ipso aditu Societatis, eodem sequi perrexit usque ad extremum. Visus autem brevi tam supra communem modum virtutibus exercitatus, & cultus, ut paucorum annorum Religiosus, & vix Sacerdos, instituentis Tironibus, & domesticorum conscientis moderandis adhibitus fuerit. De se adeo humiliter existimabat, ut in infimo Fratrum adjutorum gradu mereri vellet, nec Sacerdotium acceperit, nisi Majorum imperio. Ejus patientiam nemo satis mirari poterat. Nondum, cum Lupias venit, erat ibi Collegium Societatis. Vivebat in privata domo, unum habens ad usum vitæ famulum, sed inquietum adeo, & in agendo asperum, ut ejus arrogantia omnes offenderentur. Realinus nec hominem appellavit unquam imperiosius, nec de eo queri unquam ausus. Solus interea instar Collegii erat: adeo in exequendis nostri ordinis ministeriis multorum partes implebat. Ille nosocomia publica, ille carceres, ille privatas inopum domos circumire dies ac noctes, ut languentibus, ut vinctis, ut ærumnosis omnibus opem, ac solatium ferret; idque charitate tanta, quanta nullus Parentum affici solet erga proprios liberos. Quoties ad supplicium producebantur facinorosi, si fortè, ut sæpe fit, candenti forcipe conciperentur, assistens inter ministeria canificis Realinus, solabatur miseros, non verbis tantum amantissimis, sed etiam factis; atque illa præsertim re ad memoriam insigni, quod inusta ferro vulnera detergens lingua, doloris sensum, ut poterat, mitigabat. Erant Lupiis, & in circumposita regione, Turcarum multi ac miseri greges, maritimis capti proeliis, & in servitutem adacti. Hos ille erudiendos sumpserat, erudiebatque incredibili patientia, & sæpe aliquos ad baptismum trahebat. Condito Lupienſi Collegio, divisisque inter reliquos Patres propriis instituti nostri muneribus, curam puerorum, ac Turcarum sibi retinuit Realinus, nec quandiu vixit, explicare illis elementa Christiane Fidei desuit, confluyente ad audiendum promiscua omnis ætatis atque ordinis multitudine, quæ venerabilis Viri aspectu ipso, ac voce plurimum capiebatur. Audiendis confessionibus tantum temporis & patientiæ tribuebat, quantum nemo satis existimare possit, adibaturque eo majori concursu, quod non solum benignè omnes excipiebat, sed etiam introspicere videbatur secretiores animorum recessus, & interdum latentia ulcèra divino instinctu detegebat. Ob eximiam, qua pollebat, prudentiam, sæpe regendo Lupienſi Collegio fuit adhibitus: Ut autem illo privato nihil obedientius, sic nemo Rectorem charitate, modestia, ac providentia vincebat. Erga reliquos mortales mansuetissimus, in se unum sævebat acerrimè, solitus appressum carni cilicium setis horridum assidue gestare, somnium brevissimum in nudis assibus carpere, quotidie se flagris concidere, nunquam muscas, aut culices, quod non levè molestiæ genus, abigere. Jejunia vero sic continuabat, ut per duos intra hebdomadam dies nihil obsonii ad panem & gelidam adhiberet, nec fere in quotidianis prandis ultra septem cibi uncias sumeret. Fuit cum omni cibo abstinuit per quadrimum integrum: semel quadragesimam jejuniorum arido tantum pane transiegit. Tot debilitatum afflictationibus corpus agrè sustentabat. Itaque post annos ejusmodi vitæ ferme triginta, fulcro indigens, arundinem adhibere cœpit, quam subinde usu detritam, diffractamque filo circumligabat, studio paupertatis. Multa supra naturæ usum patrasse dicitur, sæpe divino afflatus spiritu futura prænucciasse, sæpe Coelestium alloquio, & Deiparæ Virginis aspectu dignatus fuisse: a quibus ego abstineo, ne longior sum. At tandem anno ætatis suæ octogesimo sexto, ab inita Societate quinquagesimo secundo, ipso Præsentatæ Virginis die, vir omnium opinione sanctissimus vivere desuit.

Qui fuerint Lupienſium animi in ejus obitu, quantus privatim ac publicè luctus extiterit, non est facile explicatu. Ut percrebuit urbe rumor, Bernardinum subito noxii humoris illapsu ad extrema deductum, visâ commoveri Civitas universa, accurrentibus ad Collegium summis infimisque, studio videndi, ut aiebant, cujusmodi sit mors Sanctorum. Pridie Cal. Julii celebrari cœpit:

ab infinita hominum frequentia cubiculum in quo jacebat, nec desit, nisi postridie Calendas ejusdem mensis, cum spiritum Deo reddidit. Toto hoc triduo non solum incredibiles ad eum concursus facti, sed viventi adhuc spirantique eadem prope veneratio exhibita, ac si esset jam Beatorum indici adscriptus. Afferebantur passim piacularia grana, icunculae, linteola, aliaque hujus generis res, ut ejus quasi contactu sacrarentur. Aduit inter ceteros urbis Syndicus (hoc nomine Lupienses summum Magistratum vocant) cum suis Assessoribus, & nobilitatis magno comitatu, ut supremum Parenti optimo vale diceret, simul ut illum jam tum suae Civitatis Patronum eligeret. Re ipsa, ut accessit propius ad lectulum morientis, multa praefatus de pluribus ejus, & immortalibus in Lupienses meritis, rogavit illum publico civium nomine, an non etiam post mortem vellet eandem exercere benevolentiam erga Lupias, quam vivens exercuisset, & amantissimam Civitatis Patronum agere apud Deum? Ad quae venerabilis senex, cum voce non posset, lato oculorum intuitu visus annuere. Re in vulgus emissa, quis motum populi, quis mixtam moerori laetitiam explicet! Multo tamen magis commoveri coeperunt cives, cum de Realini morte vulgatum est. Accurrere omnes ad Collegium, omnes Patronum suum intueri, ac supremum venerari se velle dicere. Qua hora expiravit, providerant Magistratus ut occuparentur Collegii, & Ecclesiae fores custodiis militaribus, quae arcerent irruentem populum, & aditu prohiberent: verum illis impetum multitudinis aegre sustinentibus, quod unum licuit, valvae omnes occlusae fuerunt. Hinc tumultus & fremitus major. Audiebantur multorum voces indignatione libera quiritantium, virum talem privato funere efferrī non oportere, nec se solatio exequiarum privandos. Quibus conterriti vocibus Magistratus, interposita Antistitis auctoritate, Rectori persuaserunt, ne justum populi desiderium celebritate funeris fraudatum vellet, sibi curae fore pollicentes, ne quid praeter ordinem, aut ex tumultu fieret. Ergo nocte proxima pegma ingens extruitur ante aram Templi maximam: pegmati praetenduntur e solido ligno cancelli, inter quos venerandum cadaver in lecto funebri collocatur, atque ita quidem, ut esset in conspectu populi, sed nulli ad osculandos ejus pedes pateret accessus, nisi per cancellorum intervalla. Stabant in armis dispositi circum milites cum mandatis, ne quem intra septum reciperent. Rebus ita compositis, recluditur mane summo Templum, ac momento oppletur, exundante hominum innumera multitudine, quae non solum ex Urbe, verum etiam ex omni circum agro confluxerat. Omnia clamoribus personant. Adnituntur certatim cuncti, contruduntque se invicem, ut accedant propius ad osculandos venerabilis viri pedes. Post multas continenter horas eadem populi frequentia, idem visendi atque osculandi studium. Inclinante in vesperam die, venerat Episcopus cum Canonicorum Collegio, solemniter funeris peracturus: at militibus aegre turbam submoventibus, vix demum ipse pervasit intra cancellos. Ceteri de comitatu, huc illucque jactati, in turba consistere; exorsi autem exequiale carmen occinere, obstrepente populi fremitu, desistere coacti sunt. Placuit experiri, num saltem populus Oratori silentium praerberet. Prodiit itaque in suggestum concionator magni nominis ex familia Carmelitarum, & de Realini laudibus dicere coepit. Sed cum nemo dicenti aures daret, memor ejus qui monuit, *Ne effundas sermonem ubi non est auditus*, oratione vix inchoata, descendit. Tenuit concursus reliquum ejus diei, donec post horam secundam noctis, emissis omnibus, vel potius ejectis, Templum occlusum est. Postridie clam omnibus, praeterquam nostris, & Magistratu urbano, venerabilis Viri corpus includitur in arca lignea sub duabus clavibus, quarum una penes Rectorem Collegii, altera penes Syndicum Civitatis perpetuo esset, (namque ita ferebat decretum Consilii publici, cui Rector refragari non est ausus) arca autem deponitur in communi nostrorum sepulcro, quoad confectus esset praecleari operis tumulus, quem Patrono suo Civitas aere publico extruendum decreverat. Sed ferre tandiu non potuit pia civium voluntas, jacere sic cada-

veri-

37.  
Qua celebritate  
& frequentia  
mortuo paren-  
taverint.

Ecc. c. 32. n. 6.

38.  
Realini Cor-  
pus servatur sub  
duabus clavibus,  
quarum una  
penes Civitatis  
Syndicum.

39.  
Transfertur  
in nobiliorem  
arcam, & cali-  
dum invenitur  
ex parte cordis.

40.  
Iterum transfer-  
tur in tumulum  
sumptu publico  
Civitatis extru-  
ctum.

41.  
Obitus & Elo-  
gium P. Josephi  
Melchiorris.

veribus permixtum cæteris pretiosum pignus. Tertio post mense educi placuit è priore sarcophago, & nobiliorem in arcam attalico convestitam velo transferri, in sacrario deinceps cum honore asservandum. Qua occasione cum fuisset retentum, magna sui parte integrum inventum est, & pectore, qua cordi respondet, adeo calente, ut qui manum admoverunt viri, numero plures, & auctoritate præcipui, miraculi magnitudine obstupescerent. Non dicam, qua tunc contentione certatum fuerit inter primores civium, ut de veteribus ejus vestibus, quæ mutata fuerunt, laciniam quisque decerperet, utque post illud tempus creverint ad ejus tumulum concursus, aut beneficia flagitantium, aut votivas tabellas, acceptorum beneficiorum indicia, afferentium (quæ religiosi cultus signa nostri tunc quidem, ante decreta Urbani VIII. Pontificis, prohibere non potuerunt); namque hæc longum esset velle per partes exequi. Absoluta tandem post annum novi tumuli mole è lecto marmore, ad inferendum in eam Realini corpus delecta fuit concubia noctis hora, ut nec strepitus ullus, nec concursus fieret, sed frustra. Suboluit, nescio quo pacto, res, ejusque fama per Urbem didita, accurrit eadem hora pars Civitatis multo maxima. Omnium una vox audiebatur, velle se adhuc semel ossa carissimi Parentis, ac Patroni sui intueri. Is erat tunc Lupiensium amor, ea veneratio erga Realinum: Neque hætenus, tot annis interlapsis, diuturnitas temporis, quæ humana omnia, & maxime hominum studia sensim minuere solet, ardorem illum extinxit.

Realinum secutus est eodem anno exeunte P. Josephus Melchior, vir hic etiam sanctitatis eximia, quem Aquila in Urbe Samnitium primaria strenuè laborantem mors oppressit III. Cal. Januarias. Mediolani in lucem editus, Societatem inierat adhuc adolescens Nola, ubi etiam tirocinium posuit. Emenso studiorum curriculo, cum esset humanis divinisque litteris præter communem modum instructus, priores illas ad octo annos circiter nostris scholasticis tradidit Neapoli, viditque è sua institutione ac disciplina profectos Rhetoricæ facultatis magistros inclytos, ac præter alios Joannem Baptistam Masculum, scriptorem illum in Lyricis ætatis suæ nulli secundum. E magisterio domestico tractus postmodum ad ministerium concionum, miram qua pollebat eloquentiam in sacris rostris exprompsit, auditus ubique pari omnium approbatione, ac fructu. Demum Aquila considerè est jussus, ut Theologiam quæ de moribus est explicaret, eoque in munere occubuit, adhuc robusta ætate, annum decurrens quinquagesimum. Fidem pene superant quæ de hujus viri demissione, charitate, patientia, ac studio animarum, memoriæ sunt prodita. Orator cum esset excellens in paucis, & magni nominis, quoties in urbem aliquam ad ineundum cursum quadragesimalem mittebatur, nullam admittebat commoditatem ex iis, quas nunc multi Concionatorum sibi necessarias putant, jens rediensque suis semper pedibus, quæcunque inciderent anni tempora, nullo humano præfidio instructus, ac viatico fere nullo, nisi quod emendicando corrogasset. In Collegio Aquilano, præter culturam quam ordini Clericali maximam, ac sane fructuosam adhibebat, abjectissima quæque ac laboriosissima Fratrum ministeria, suscipiebat, quodque habebat vacuum à studiis, precibusque tempus, everrendis ambulacris, comportandis disponendisque per Templum scammis, patinis abstergendis, aliisque id genus muniis obeundis impendebat, prorsus ac si communis famulus domesticorum esset. Quin sæpe exibat cum bipenni in vicinam silvam ad lignandum, collectosque lignorum fasces, & jumento impositos in Collegium devehebat, quorum partem maximam in usum culinæ transferens, partem seponebat sibi, ut eam deinde in candelabra tornaret, & Ecclesia tunc inopi qualecunque instrumentum provideret. Fuit ex nostris Neapoli, qui Melchiorrem ex hac parte reprehendit, scripsitque ad eum, non esse è dignitate ordinis Sacerdotalis securim tractare, dolare ligna, aliisque ejusmodi fabrilibus operibus distineri. Respondit ipse, partim seriò, partim festivè, ac per jocum, à se alienam non duxisse Apostolum Doctorem Gentium scenofactoriam artem, minime vero indecoram ordini Sacerdotali securim videri, quam Dei Filius,

Sa-

Sacerdotum utique primus, sibi attribuisse per ea verba: *Jam securis ad radicem arborum apposta est.* Cum silvis, & arborum truncis familiaritatem habuisse sanctissimos Anachoretas, sine dedecore: se in candelabris adornandis fervire Altari non incommodè, quod quidem Sacerdotis proprium est. Addidit ejusdem generis multa, perrexitque uti prius institutum sequi, in quo uno multas simul & varias virtutes exercebat, charitatem, paupertatem, patientiam, religionem, contemptum mundi, ac sui met. Sed istarum aliarumque virtutum multo latiore sibi campum aperuit in celebri sodalitia, quod pro Opificibus Civitatis instituit, sive, ut alii malunt, a Sertorio Caputo institutum, restituit, firmavitque in Collegio Aquilano. Ter quot hebdomadis suos celebrabant cœtus pii sodales, semper ante lucem, ut sol exorians suis distentos opificibus inveniret, nihilque de quotidiano quæstu deperderent. Adventantes præstolabatur ad Collegii januam Pater Melchior, benevolè comiterque singulos excipiebat, frigore rigescentes, imbre madidos interdum, aut nive conspersos, excitata è sarmentis flamma recreabat: mox vero in Oratorium convocatos iis detinebat religionis officiis, iis hortationibus inflammabat, ut pietatis studio mirum in modum incalescerent. Quot hinc, & quanta manarint in publicum utilitates, majus est quam ut verbis consequi possim. Huic quidem certè operi debuit Civitas Aquilana, quod castigatos viderit in populo mores, & novam pietatis speciem in familias inductam. At enim tot, ac tam assiduis laboribus adeo detrita est Viri Apostolici valetudo, ut demum oneri succubuerit. Ajunt, ipsa die Christo nascenti sacra, cum viribus esset omnino integris, prædixisse P. Francisco Amico (is ille est Amicus editis de Theologia libris ubique nominatissimus), se moriturum intra quatrimum, eique statim indicaturum de suo post mortem statu. Quod si verum est, datam certè non fefellit fidem. Eadem quippe die, qua mortuus est Melchior, venit ad Amicum Matrona spectata pietatis, sibi que illum oranti visum narravit in splendenti amictu, cum B. Virginem, & Angelum suum tutelarem sequeretur in cœlum. Simul conspectos sibi ajebat ex alia parte duos horrenda forma demones catenatos, & pudore oppletos: Quo confirmata eorum opinio, qui Melchiorrem, cum audissent in extremo agone Deiparam sæpe, sæpe suum tutelarem Angelum invocantem, magnis eum terroribus agitatum crediderant. Sed de Italicis Provinciis satis multa.

Ad Germanicam properanti offert se ante alias, quæ Germaniæ Superioris, usitato apud nos vocabulo, appellatur. Complectitur quidquid habet Societas in Tyroli, Bavaria, superiore Palatinatu, itemque in Helvetia, Valesiaque, ac tandem in Svevia, atque Brisgovia. In omnibus quas recensui regionibus nonnullam Societati frugem hic annus reddidit, fueruntque omnino mille quadringenti ex diversis Hæreticorum sectis ad Ecclesiam reducti. Singulariter memorandus magni nominis Vir ex familia Heberstorfia, gente Styris, genere nobilissimus. Is, jubente haud ita pridem Archiduce Ferdinando, Hæreticos ejus regionis, aut fidem mutare, aut solum vertere, maluerat hoc alterum, ob eamque causam exul à patria concesserat Neoburgum. Erat ibi ab aliquo tempore anceps animi, quam Religionem sibi amplectendam putaret, sed Catholico ferè propior. Dum enim aulam frequentat, auditis Jacobi Rehingii Sacerdotis nostri concionibus, paulatim displicere sibi cœperat, angebaturque assiduis conscientia stimulis, valde metuens ne à salutis via longissimè aberraret. Die quadam, cum esset supra quam soleret inquis, ut forte allidebat abaco, in quo plurimi oberfabantur utriusque Religionis libri, manu temerè injecta, unum extraxit, ut fors ferret. Erat aureum illud opus Cantili, quod *Manuale Catholicorum* inscribitur. Aperit, ac legere incipienti objicit precationis formula totidem concepta verbis: *Domine, in cujus manibus sunt sortes mee, da mihi gratiam quamprimum faciendi confessionem de tota vita mea.* Diceres, non verba hæc fuisse, sed jacula, sic altè in ejus animum, cœlesti aspirante gratia, penetrarunt. Nihil ultra cunctandum ratus, Rehingium adit, peractaque multis cum lachrymis totius vitæ confessione,

T. I.

D

fese

<sup>42.</sup>  
RES GERMANIÆ  
SUPERIORIS.  
Fructus ex tota  
Provincia colle-  
cti.

<sup>43.</sup>  
Viri Nobilis  
conversio me-  
morabilis

44.  
Acta Neoburgi  
à PP. Velfero,  
& Rehingio.

45.  
Wolfgangus Ne-  
oburgensis Dux  
Societatis Col-  
legium collocat  
Neoburgi.

46.  
Friburgensium  
gravis offensus,  
ejusque causa.

47.  
Quid Cives in  
illo æstu iracun-  
diæ inceperint  
contra Societa-  
tem.

48.  
Grassante pesti-  
lentiâ, nostro-  
rum obsequio  
Civitas delini-  
tur.

fese Catholicis aggregat. Hunc, præter alios plures, ceperunt fructum laboris & industriae suæ Patres Antonius Velferus, & Jacobus Rheingius, Viri ambo tunc Religionis studio laudatissimi, ac de toto Palatinatu præclare meriti. Eos ante annos quatuor secum in aulam Neoburgicam adduxerat Magdalena Bavarica, Wolfgango Wilhelmo Ludovici Palatini filio nupta. Femina quippe eximiè Catholica id inter pacta matrimonii postulaverat, ut darentur sibi suæ professionis Ministri, liceretque illis officia Religionis palam ac libere exercere in Sacello aulico. Atque illi quidem per diu Neoburgi, ut in urbe penitus Calviniana, sementem Orthodoxæ doctrinæ fecerant clam, & timide, vix ausi extra aulam de Religione sermonem serere, metu Ludovici Ducis, qui præfractè hæreticus, hæreticis etiam se factorem, ac patronum præbebat. Sed Ludovico post duos annos extincto, in ejusque locum jure successione suffecto Wolfgango jam occultè catholico, magna rerum conversio est facta. Princeps catholicum se palam & aperte professus, non solum tueri coepit duos quos dixi Patres, eosque ad provehendam Neoburgi fidem Orthodoxam accendere, verum etiam alios adscivit homines Societatis, donec, collecta sex sociorum lecta manu, collegii fundamenta jecit. Nihil ad formam Collegii deerat hoc anno, præter censum, atque hunc etiam Princeps nostri ordinis studiosissimus brevi constituit. Accepta enim à Pontifice Maximo potestate transferendi ad nostros Monasterium Echembrunense, mille florenis annuis, qui ex ejus bonis proveniebant, addidit aliunde quingentos, & justam Collegii dotem confecit. Neque hic finem suæ erga nos beneficentiæ fecit, sed paulo post etiam sacram ædem principali magnificentia ædificatam, ut infra dicemus, tradidit Societati.

Aliter erant erga nos animati hoc tempore Friburgenses in Helvetia, facti ex amantissimis implacabiliter infensi, idque ob nullius momenti causam: Ut mirari subeat, ob ejusmodi rem illos tantopere succensuisse, nostros offensionis locum præbuisse. Conciones habuerat ante biennium Friburgi in S. Nicolai P. Joachimus Megglinus: utque erat, non solum in dicendo eloquens, sed etiam integerrimi moris, & indolis suavissima, delectati ejus consuetudine cives, videbantur eo carere posthac omnino non posse, aut certè nolle. Itaque deliberantibus Societatis moderatoribus Megglinum aliò traducere, tanta ad eum retinendum est exorta contentio, quanta esse vix posset, si de negotio Reipublicæ, eoque gravissimo actum esset. Nihilo fecius perstitit in priore sententiâ Præpositus Provincialis, & Megglinum silentio noctis ire jussit Lucernam, Friburgensibus non solum invitis, sed ne scientibus quidem. Verum id postredie ut palam est factum, haud facile dixerim, quantum Civitas adversus nostros exarserit. Mittitur confestim in Collegium apparitor, qui nomine Senatus reposcat suggesti clavem, jam pridem Ven. Petro Canisio cum munere concionandi traditam in S. Nicolai, quæ vix recepta Familia Patrum Capuccinorum traditur. Erant alia tria Friburgi Tempa, in quibus nostri singulis diebus Dominicis concionabantur. Proxima die Dominica, cum venissent qui solebant Patres ad habendam concionem, non solum fuerunt cum ignominia repulsi, verum etiam actum in Senatu, ut illa similiter Cathedræ concionales a nobis transferrentur ad Capuccinos: quod decretum ne fieret, iidem obstitere, quibus destinabantur, Viri religiosissimi. Jactatæ præterea voces exilium nobis, aut saltem bonorum occupationem comminantium. Verum inter hæc lues exitialis, urbem repente corripens, restinxit indignationem Civium, & nobis saluti fuit. Vix prima se prodiderant mali semina, cum Rector Collegii P. Adamus Straub Senatui libellum obtulit, quo suorum operam in ea calamitate præsto futuram promittens, rogabat Senatores ut statuerent, qualiter tali tempore uti vellent paratis ad omne obsequium hominibus Societatis. Hæc in Curia publicè cum recitarentur, adeo mitigati fuerunt Senatorum plerique, ut nonnullis etiam lachrymæ excidisse dicantur. Accepta est cum magna gratiarum actione Patrum voluntas, iidem ægrotantium procuratio permissa. Nec mora. Egressi ad tam arduum christianæ charitatis opus aliqui Patres, quorum erat animus promptior, & ad vir-

virtutem exercitator, obire domos, sacra languentibus ministrare, omnibus æterna, atque hujus vitæ præsidia circumferre cœperunt. Nec interea domi, si tantum scholas excipias, de consuetis officiis quidquam intermissum. Semper ædes Collegii patuit, semper confiteri volentibus Sacerdotum copia in promptu fuit. Totis sex mensibus pestilentia grassata est, quo tempore nostrorum decessisse neminem, etsi agrorum lectis aliqui dies noctesque assedissent, portentis simile visum. Eos tamen credibile est, Venerabilis Canisii ope fuisse servatos, idque ut de cunctis opinemur effecit unus nominatim, qui cum fuisset mali contagione prostratus, Canisio vix invocato, convaluit præter omnem humanam spem, perrexitque, uti cœperat, operam ægrotis navare. Neque solum nostri præfens ejus auxilium tam favo tempore experti sunt, verum etiam externi. Ei quidem certe valetudinem debuit quædam præ cæteris Virgo, quæ nullo licet adhibito humano remedio, luem à se depulsam vidit eo profusus tempore, quo ipsius Mater pro incolumitate filia morientis Canisio supplicabat. Quare venerabilis Viri sepulchrum Friburgenses majori quam unquam antea concursu frequentare cœperunt hoc tempore, ad eum, tamquam ad Patronum Civitatis suæ, quotidie confugientes.

Provinciam Germaniæ Superioris attingit ab oriente Austriaca, cujus, eo de quo scribimus tempore, adhuc pars erant domicilia Bohemiæ, Moraviæque. Bis mille & octingenti fuerunt per hanc ubique Provinciam Hæretici, quos anno uno ad Ecclesiam reduxit Societatis labor. Viennæ debuit nostrorum præcipue officiis, & commendationibus Familia Religiosorum S. Joannis de Deo, quod cognita, quod retenta, & non unis beneficiis ornata fuerit. Venerant in illam urbem viri religiosissimi, ut Nosocomium pro ratione instituti sui conderent. Viennenses, qui de illis parum admodum scirent, aut non pro dignitate sentirent, eorum consiliis obstiterant hætenus, nec modo opem nullam, sed nec aures dederant. Itaque, desperato rei exitu, abire pii hospites cogitabant. Ne abirent perfecere nostri: neque solum discessuros ad spem meliorum confirmaverunt, verum etiam hortando, monendoque Civibus persuaserunt, ut ejus ordinis homines, & instituta complecterentur. Hinc valetudinario, ut optaverant, constituto, non commiserunt viri optimi, ut beneficii immemores viderentur: sed præterquam quod in iis, quæ ad conscientiam pertinent, totos se nostris hominibus permiserunt, illud etiam instituerunt, ut audiendis agrorum confessionibus, sacrisque ministrandis, non alii in nosocomium admitterentur, quam Sacerdotes Societatis. Eodem anno Pragæ Matthias Cæsar nostrum illud Collegium, & Academiam, duo avita pietatis illustria monumenta, ita auxit illustravitque, ut quasi novus utriusque Fundator & Parens videri posset. Quod ad Collegium attinet, cum audisset, multis partibus imminuta esse vectigalia, illi olim a Fundatore Ferdinando augusto attributa, & alendis omnium disciplinarum Professoribus agrè sufficere, addidit ipse censum annum, quo rem domiciliis penè collapsam restituit. At Academiam novo diplomate confirmavit, præsentia sua plurimum. Adfuit enim ipse coram in Divi Salvatoris cum magna Procerum corona, & Legatis Regum, & in illo tanto consessu, postquam Melchior Cardinalis Klefelius rem divinam solemniori ritu fecerat, suum diploma Cæsareum publicè recitari jussit. Prius quam hæc agerentur, adjecerat animum religiosissimus Imperator ad reponendam in Hungaria Societatem, quam ante annos decem Hæretici, duce Stephano Botzkajo rebellantes, expulerant. Unum fuerat nobis toto illo regno Collegium Sellia, cujus bona si addicerentur denuo Societati, videbat Cæsar, facili negotio Collegium, vel in eadem urbe, vel in alia qualibet posse restitui. In iis bonis censebatur Turocienfis Præpositura; verum hanc Societati reddere, ut erant tempora, non audebat. Nam tametsi pax inter ipsum & perduelles utcumque coaluisset, prævalebant tamen in publico regni conventu Hæretici, & nuper decernendum curaverant, ne liceret unquam in Hungaria Jesuitas ad ullam bonorum, quæ solo

Ta. L.

D 2

con-

49.  
Augetur tam  
sevo tempore  
Friburgensium  
veneratio erga  
Canisium.

50.  
RES PROVINCIA  
AUSTRIACÆ.  
Hæretici ad  
Ecclesiam ad-  
ducti hoc anno.

51.  
Religiosi S. Jo-  
annis de Deo  
nostrorum præ-  
cipue opera re-  
tinentur Vien-  
næ.

52.  
Matthias Im-  
perator Pragen-  
se collegium au-  
get proventu,  
& academiam  
denuo confir-  
mat.

53.  
Idem Cæsar  
Tyrvavia in  
Hungaria colle-  
gium Societatis  
constituit.

continentur, possessionem admittere: Quod decretum si violaretur, periculum erat, ne denuo heretici occasionem tumultuandi sumerent. Hæc reputans pius Princeps, quam dixi Præposituram tradidit Cardinali Forгатzio Archiepiscopo Strigoniensi, ea tamen lege, ut ex ejus fructibus quotannis certam pensionem repræsenteret collegio Societatis à se designando, quæ lex transfret in perpetuum ad eos omnes, qui eadem Præpositura potirentur. Constituto in hunc modum censu, aptus quærebatur reponendo Collegio locus, placebatque eligere unam aliquam ex munitis Hungariæ Urbibus, quæ, si forte bellum increpisset denuo, non tam facile hostium pateret incurfibus, sicuti Sellia. Visa ex omnibus opportunissima Tyrnavia, urbs quippe validis cincta mœnibus, & in illa atrocitate temporum adhuc avita religione, & fide erga Regem insignis. Erat Tyrnavia vetus ædificium, olim cœnobium Dominicanorum, nunc monasterium sacrarum Virginum ejusdem ordinis, sed male materiatur, & ex parte collapsum. Id Forгатzius, translatis ad Posoniensem Parthenonem Virginibus, nostris mancipio tradidit, addens pecuniæ non exiguum numerum, ut reparato celeriter ædificio, habitarent in eo tanquam in domicilio proprio Patres, & quæcunque sunt nostri ordinis propria exercerent. Erectum ergo est Tyrnavia collegium, in eoque tres aperti latinitatis ludi ad erudiendam teneriorem ætatem: Id quod adeo Civitati gratum accidit, ut illico scholam suam publicam & antiquam occluserint cives; Canonici autem Juventutem seminarii sui ad collegium miserint. Post hæc Forгатzius parabat sacram nobis ædem à fundamentis extruere; sed præclara ejus consilia mors intervertit.

Mortem amantissimi Præsulis ne nimis longo luctu prosequeremur, effecit successor illi datus Petrus Pazmanius, postea S. R. E. Cardinalis, cujus viri mentio ipsa me admonet, ut quibus gradibus ad Strigoniensem Tiaram pervenerit, paulo diligentius exponam: Eoque facio libentius, quod simul debetur quædam, vel ambitionis, vel inconstantiamacula, quam præclarissimi hominis memoria apud rerum imperitos inustam scio. Natus erat Pazmanius Vardani in Transilvania, materni æquæ, ac paterni generis antiqua nobilitate conspicuus. Educatu Claudiopoli sub disciplina nostrorum, anno ætatis decimo sexto Societatem amplexus est. Exacto tirocinio, philosophiam Viennæ, Romæ theologiam audivit, utramque in Græcensi academia docuit, magna ingenii doctrinæque laude. Inde adversus religionis, & pietatis hostes in aciem descendit, non eruditæ lucubrationibus tantum, & egregiis libris, sed & apostolicis in Pannonia missionibus, quibus strenuè insudantem Cardinalis Forгатzius Archiepiscopus Strigoniensis sibi assumpsit à confessionibus, habuitque reliquo vitæ tempore apud se conscientiam arbitrum, & consiliarium. Mortuo Forгатzio non alium Matthias Imperator subrogatum voluit, præter hunc ipsum spectatissimæ virtutis, & prudentiæ virum, cujus operam videbat turbulentis illis temporibus futuram sibi, & Catholicæ rei perutilem in Hungaria. Nec difficile fuit Casari impetrare à Pontifice Maximo, ut oblatam dignitatem admittente nolentem cogeret. Id ita factum esse, colligo ex ipsis Matthiæ litteris, quibus Turociensem Præposituram Pazmanio nondum à nobis digresso deferens, sic cum alloquitur. „ Quem Beatissimi in Christo Patris, & Domini, divina Providentia Papæ Pauli V. auctoritate, non solum ab obligatione Patrum Societatis Jesu exemptum, verum etiam ad quævis beneficia Ecclesiastica adeunda, juxta beneplacitum nostrum, speciali mandato adstrictum esse, compertum habemus. „

At Pazmanius, cum nec infulas prope per vim impositas posset excutere, nec vellet novo perniciosoque exemplo perfodere sacrum illum parietem, quo Societatis professi ab ejusmodi dignitatibus excluduntur, Paulo V. Pontifici supplicavit, sibi ut liceret prius cum bona ejus venia transire ad Clericos S. Majoli, quos Somaschæ Congregationis vocant, illud credo unum spectans, ut quoquo modo mederetur gravissimo Societatis vulnere, nec ex ea assumptus ad Episcopatum dici posset. Annuit petitioni Pontifex hoc ipso anno, deditque ea super re litteras III. Cal. Maji ad Melphientem Episcopum, Legatum Sedis Apostolicæ apud

54.  
Cardinalis For-  
gatzii benefi-  
centia erga col-  
legium Tyrna-  
viense.

55.  
Forгатzio in  
Strigoniensi E-  
piscopatu suc-  
cedit P. Petrus  
Pazmanius po-  
stea Cardinalis.

56.  
Dignitatem  
accipit coactus  
præcepto Ro-  
mani Pontificis.

57.  
Sed prius tran-  
sit ad Clericos  
Congregationis  
Somaschæ.

apud Cæsarem. Pazmanius itaque in eam quam dixi Congregationem se recepit. Sed nondum quinque mensibus in ea positus, XII. Cal. Octobris Strigoniensis Archiepiscopus fuit renunciatus. Quare, si quod recusare non poterat, modeste admisit, in eo certè reprehendi non debet. Quod autem ad alium ordinem transferri prius voluerit, quam vetiti apud nos honoris insignibus ornaretur, laudandus maxime, ut qui maluerit Societatem in speciem deserere, quam sanctiora ejus instituta violare. Sunt qui dubitant, an apud Somaschas religiosam professionis sacramentum Pazmanius dixerit. Qua super re non dissimulabo, visum mihi esse exemplum litterarum, quibus id affirmat Alexander Vasolus, Melphiensis Episcopi in Legatione Germanica familiaris, testaturque, ipsum se Pazmanii professionem excepisse Legati Pontificii nomine. Sed, ut modò non quaram de veritate illarum litterarum, valde vereor, ne Vasolus meram professionem transeundi ab uno ad alium ordinem, pro religiosa professionis sacramento sumpserit. Nam cui credibile videatur, ab Apostolico Nuncio unumquemdam e sua familia fuisse delegatum, qui tanti viri, & jam Archiepiscopi designati, solemnem professionem exciperet? Caterum, nec hujus professionis autographum documentum invenitur apud Somaschas, & Pazmanius ipse jam Cardinalis Romæ passim affirmabat, ut Oldoinus testatur, se esse à Societate Jesu; quod verè dicere non poterat, si obedientiæ sacramentum alibi quam in Societate dixisset. Sed quid opus est conjecturas sequi? Sunt in nostro Tabulario litteræ ad Mutium Generalem, Pazmanii ipsius manu exaratae III. Idus Decembris, anno MDCXXV., quibus litteris dubium omne præciditur. Præfatus enim angi se aliqua religione, qua liberari vellet, anxietatis suæ causam totidem verbis explicat. „ Ego in Societate a prima adolescentia egi. Ut ad hoc laboriosissimum, ac periculosissimum munus Archiepiscopale, cum nihil minus quam hoc cogitarem, assumerer, sanctæ memoriæ Pauli Papæ nutu in Congregationem S. Majoli translatus fui, ut illinc deinde ad Prælaturam promoverer. Et licet a superioribus ordinis Somaschæ litteras acceperim, quibus in illum ordinem me fuisse adscriptum significabatur, ego tamen nullam in eo ordine professionem emisit, sed confestim ad Archiepiscopatum postulatus fui. Quocirca non sine aliqua mentis anxietate ambigo, an obligationi meæ satisfecerim, vel potius aliquid superfit a me præstandum in hoc genere „. Has ego litteras Vasoli litteris oppono, hoc ejus testimonio testimonium, in medio relinquens, utri major adhibenda fides videatur.

Sed ut eò regrediar, unde non nihil digressus sum, quo tempore redux in Hungariam Societas summa bonorum omnium gratulatione excipiebatur, pauci aliqui, nec sane boni, in Polonia ad ejus obtendam famam agressti sunt. Prodiere Cracoviæ pestilentes libelli plures, quibus clariores Societatis operarii nominatim impetebantur, neque solum per manus hominum impune volitarunt, sed in publicis etiam, & celebrioribus urbis locis affixi fuerunt, ad concitandum contra nos populum, & conflandam nostro nomini invidiam. In tanta maledicendi licentia apparuere ad extremum *Monita privata Societatis Jesu*, quo opere, ut modeste dicam, nihil ineptius. Inducitur eò libro Præpositus Societatis suos alloquens, & iniqua multa præcipiens, non omnibus quidem, sed Patrum duntaxat gravioribus committenda. Artifex tenebricosæ lucubrationis fuerat de Societate, sed ejectus haud ita pridem cum ignominia, conabatur nunc dedecus ejectionis suæ mordacissimis ejusmodi scriptis obtegere, vel ulcisci. Utrum assecutus fuerit malæ mentis propositum, non definio. Libellum certe ad omnes Europæ partes mira celeritate propagatum, tametsi multi summis exceperint laudibus, sapientes non alia quam flammæ luce dignum judicarunt, Romæ autem Cardinales conficiendo Indici librorum vetitorum præpositi inter proscriptos transtulerunt. Eundem haud multo post noster Jacobus Gretserus refutavit luculentissimo opusculo, quod extat inter alia hujus scriptoris monumenta. At Pofnaniæ malevoli, qui ubique plures, aliam inierunt vexandæ Societatis viam, & quamquam nullum damnatum, molestiam tamen haud levem nostris hominibus attulerunt. Conflagraverat,

58.  
Utrum in ea Congregatione religiosam Professionem emisit.

59.  
Non emisit testatur ipse de se litteris ad Mutium scriptis.

60.  
RES POLONIÆ.  
Cracoviæ Societas famosissimis libellis impetit.

61.  
Socii Pofnanienses a foeda calumnia vindicantur.

62.  
Collegium  
Cameneense,  
subito incendio  
consumitur cum  
tota ferè Urbe.

63.  
Res utiliter ge-  
stæ in diversis  
Poloniæ Pro-  
vinciæ locis.

64.  
Fructuosa expe-  
ditio in Ukra-  
niam, & Vol-  
hiniam.

verat, nescio quo casu, Fanum Hæreticorum, apparebatque flammæ humana fraude injectas fuisse. Dum illi uruntur dolore injuriæ, & auctorem maleficii perquirunt, unus quidam Gregalium affirmare palam cepit, Jesuitarum, vel opera, vel consilio patratum fuisse facinus, vocibus seditiosis exstimulans ceteros ad vindictam, & nostris ædibus prædiisque parem cladem interminans. Nostri ut infamiam a se depellerent, averterentque quod denunciabatur infortunium, rem omnem ad Magistratum detulerunt. Adesse jubetur calumniator, & causam dicere, ob quam censeret, homines Societatis auctores incendiarii fuisse. Negabat homo vecors, id a se affirmatum aliquando; sed multorum testimonio revictus, carcere damnatus est, nec ante dimissus, quam datis vadibus sponderet, nunquam se posthac nostris molestum fore. Non tam facile prohiberi potuit excidium Collegii Cameneensis, quod unâ cum urbe propemodum universa miserabili incendio periit. Accessit hoc malum quasi cumulus aliis multis, gravibusque, quibus hæctenus ea civitas fuerat conflictata. Primo enim finitimi Scytæ, quos vocant Tartaros, Podoliam cum infesto agmine ingressi, totam circa regionem omni belli clade vastaverant. Eos exceperat Cosaccorum exercitus, prædonum magis quam militum multitudo, qui licet socii, & sub Rege Polonorum stipendia merentes, stativis, atque itineribus agrum exhaurerant nihil minus quam hostes. Vix demum horum discessu civitas respirabat, cum Idibus Quintilibus, circa meridiem, improvisa vis ignis, incertum unde mota, urbem invasit, & spatio horarum trium fere totam absumpsit. Nostri, amisso templo, & maxima collegii parte, præsidio cœlitum retulere acceptum, quod Sacrarium, & Bibliothecam victricibus flammis eripuerint; & quamquam magna pressi rei familiaris angustia, statim agresse sunt sacram ædem, & scholarum aulas restituere, quibus intra eundem annum restructis, ad ministeria sui moris continuo redierunt.

Tot inter adversa solatio fuit Patribus in Polonia, quod nihilo segnus pro salute publica laborantes, opera pretium fecerunt minime poenitendum. Sexaginta fuerunt Cracoviæ Hæretici ex multiplici varietate sectarum ad Romanam fidem revocati. Totidem fere Pofnania, ex quibus præcipue memorabilis vir genere nobilis, & falsæ doctrinæ consultissimus, qui annos circiter quadraginta Calvinianæ hæreseos magistrum egerat. Is errorem dedoctus sex ante obitum mensibus, juravit in verba Catholicæ Religionis coram innumera frequentia civium, frementibus frustra Gregalibus, ac talis transitionem viri ferentibus indignissime. Eidem haud multo post mortuo nostri funus apud se, paravere cum insigni pompa, quam Sacerdotum collegia, & Magistratus urbis sua præsentia cohonestarunt. Eodem tempore Patres Cameneenses ad totam late Podoliam, conterminasque provincias Ukrainiam, & Volhiniam, cum Sacris Missionibus procurrerunt. Erat ea regio admodum inculta. Nam quia totus ille terræ tractus obnoxius est excursionibus prope quotidianis Scytarum, haud facile inveniebantur Catholici Sacerdotes, qui habitare ibi cum tanto mortis, vel servitutis periculo sustinerent. Itaque ex omni errorum, ac vitiorum germine sylvescebat. Magnus incolarum numerus schisma sequebantur. His permixti erant Judæi, ob varias commerciorum utilitates, mercaturam exercentes. Aliquæ Scytarum coloniæ Idola colebant: nec deerant, qui recentiores Protestantium errores profiterentur. Pars reliqua, utique minor, Catholici; sed iis moribus, ut a sectis, inter quas vivebant, non multum differrent. Uxores, ut alia præteream, haud secus quam empta pretio mancipia permutabant, nec matrimonia difficiliter quam alia quævis pacta solvebant. Ad has ergo plagas profecti sunt e collegio Cameneensi Sacerdotes quatuor. Par Vinitzæ substitit cum præsidio militum eam arcem obtinentium. Duo reliqui interiora regionis obierunt. Omnes laboris & industriæ suæ fructum non pigendum ceperunt. Catholicorum libidines ex parte compressæ sunt, emendati mores, pietas excitata. A schismate revocati plures, atque in his unus ex Sacerdotibus, quos illi patrio vocabulo Popas vocant, Sed illud in primis utile, quod persuasum est viro in tota Volhinia

hinia illustri, & multarum opum, ut in sua ditione quinque erigeret curiales ades, & in singulis Curiones constitueret cum apto censu, unde etiam certus pauperum numerus sustentaretur. Hæc agentibus ibi nostris, venit in Podoliam cum exercitu Stanislaus Zolkevichius, supremus copiarum ductor, ut defenderet regni fines, & Valaccorum Turcarumque irruptiones prohiberet. Positis prope Camenecum castris, vir non bellica magis virtute, quam pietate conspicuus, evocavit ad se Rectorem collegii Camenecensis, ut cum eo per otium deliberaret de cultu veræ Religionis in illa provincia augendo, vel reparando. Multa subjecit Rector. Tria Zolkevichius præstitit, quæ visa ad præsentem usum magis idonea. Primò, ad instauranda Cameneci Templà, quæ incendio deflagrassè supra docuimus, pecuniam numeravit, & nostris quidem ampliorem quam cæteris. Deinde collegio Camenecensi perpetuum censum coemit; cum hoc tamen, ut duos aleret operarios, qui maximam anni partem in sacris expeditionibus quaquaversum impenderent. Postremò impetravit a Rege Sigismundo subsidia, quibus nova nostrorum statio poneretur Bari. Sed de hac nobis sermo redibit anno proximo.

In Lithuania dum similiter desudabat Societas, ut jacentem, aut inclinam ubique pietatem erigeret, magnam agendi opportunitatem illi præbuit Josephus Velaminus Ruthenorum Metropolita, qui olim Romæ in Græcorum collegio educatus, amabat nunc etiam nostros impense, eorumque præsertim opera utebatur ad castigandos Ecclesiæ sibi commissæ mores inquinatissimos. Multa in hunc finem sapienter inceperat, multa gesserat. At nuper reputans, quantum momenti habere soleant apud populum exempla Religiosorum, instaurandam susceperat disciplinam omnino collapsam inter Monachos, qui cum essent nomine Basiliani, præscriptam a magno Basilio vivendi formam, aut ignorabant penitus, aut negligebant. Sic autem apud se constituerat, non possè commodiùs in totum ordinem disciplinam reduci, quam si Tirones optimis institutis imbuerentur ab initio, & ad S. Basilii regulam aptè formarentur. Nam antiquiores Monachos, usu ipso licentioris vitæ impunitatem adeptos, retrahere ad frugem, id esse plus nimio arduum intelligebat, nec nisi cautè, & quasi tentandi vadi causâ conandum. Hac mente designavit Bithinense Monasterium, in quo religiosæ vitæ tirocinium poneretur in posterum: instituendis autem tironibus duos præfecit Societatis nostræ Patres, Simonem Pruskium, & Andream Koniuskium. Hi non juniores tantum, sed paulatim etiam veteranos Monachos nacti dociles, & ad omnia obsequentes, anno uno talem inter eos induxere vivendi formam, ut omnino alia videretur domus, nec inde nisi sanctimonix exempla diffunderentur. Neque verò intra unius coenobii parietes utilitas constitit, sed ad alia etiam remotiora pervasit. Exciti enim fama resplendentis in Bithinensi monasterio disciplinæ multi ejusdem ordinis, eodem accurrerunt, se pariter nostris in disciplinam dederunt, & studium pietatis ibi haustum ad sua deinde coenobia detulerunt. Convenerat a principio, ne nostri illud munus gererent ultra annum. Multo diutiùs gerere coacti sunt, ne Monachis, & Ruthenorum Proceribus agre facerent. Pertinuit fructus operæ, quod pronissimum erat, etiam ad plebem. Quippe oppidani videntes, quam melioribus ac antea Monachis uterentur, nec ignorantes, quorum industria facta esset ea rerum conversio, bene jam de nostris, ac præclare sentire, confluere ad eos magno numero, iisdem se regendos, ac moderandos permittere: idque illi etiam, qui, ut græcanici ritus retinentissimi, nefas antea ducebant Latinos Sacerdotes poenitentix causâ adire. Hæc præstitere nostrorum duo intra privatos quosdam parietes, atque, ut ita dicam, sub tabernaculis confidentes. Alii interim in apertum solem & pulverem egressi, majora moliebantur.

Pertinebat hoc tempore ad Provinciam Lithuania Livonia, regio admodum rudis, & cunctis errorum pestibus foede corrupta. Duo habebat Societatis Collegia, alterum Derpati, sive, ut alii malunt, Torpati, Rigæ alterum in ipsa sede Provincia. Verum in utraque urbe, pravalentibus numero opi-

65.  
Stanislaus Zolkevichius rem Catholicam adjuvat in Podolia, & bene de nostris meretur.

66.  
RES LITHUANIX.  
Monachorum disciplinam nostri instaurandam suscipiunt.

67.  
Pretium operæ factum in Monasterio Bithinensi.

68.  
Res gestæ Societatis in Livonia.

busque

69.  
Vendæ Societatis statio collocatur.

70.  
Fundatur Collegium Crosense in Samogitia.

71.  
Cur Crosæ aliis oppidis anteposta.

72.  
Collegii Plocensis initia.

busque Heterodoxis, perexiguum hactenus laboris sui fructum nostri retulerant; nec, ut erant res, uberiorem sperabant in posterum. Quare præcipuam collocare operam ceperant apud rusticos, homines scilicet præcæ simplicitatis, nec tam pravo novitatis studio, quam ignorantia veri, falsa sectantes. Excurrebant in omnem partem, veræ doctrinæ lucem circumferentes, subibant mapalia, & humiles villicorum casus, ignaros rerum omnium erudiebant, copiosam ubique messem in Christi aream inferebant. Addebat ad laborandum animos pretium laboris oppidò latum, atque ingens. Sed nimis pauci erant pro agri magnitudine operarii, nec omnes gentis linguam callebant. Tres enim nationes Livoniam occupant, Libici, Lotavi, & Esthones, sua singuli utentes lingua, & exceptis nobilibus, quibus est Germanica familiaris, aliarum imperiti. Sedem præterea non habebat Societas, unde ad omnia Livoniæ latera facilis esset excursio. His incommodis ut ex parte occurreret P. Joannes Argentus Lithuanæ Provinciæ inspector, sociorum stationem posuit Vendæ, quæ urbs est Lotaviæ caput, & ad totam peragrandam Livoniam opportunissimo loco sita. In ea statione viros impigros, & linguarum regionis scientissimos collocavit, Petrum Culefium, & Joannem Stribingium. Istorum autem operamirum, ut brevi tempore pietas & religio in toto illo tractu refluoruerit. Duplicato postmodum sociorum numero, & aucto ex piorum largitionibus censu, parabant nostri ex mera statione Collegium facere: sed tam læta initia clades belli Svecici, ut infra narrabimus, prorsus extinxit.

Per hæc fundatum est Crosense collegium in Samogitia. Est Samogitia Polonici juris ampla provincia, sed magna ex parte silvosa. Urbes habet admodum paucas, nec magnæ celebritatis. Incolarum pars maxima rusticani, & usque ad tempora Sigismundi Augusti plerique adhuc Idolorum cultores. Quamvis autem Sigismundi imperio Christianam Religionem susceperant, adhuc tamen plurimi clam avitam retinebant superstitionem, eamque sacrilegis ritibus exercebant. Accesserant variarum hæresum pestes, quæ bonæ frugis nihil in tam inculto solo reliquerant. Ad hoc senticetum excolendum mitti ceperant per intervalla temporum operarii Societatis, sed ii erant mores, ea gentis ingenia, ut longe majori indigerent cultura, quam quæ per ejusmodi excursiones impendi posset. Id reputans Nicolaus Pac Episcopus Samogitiæ, expetebat collegium stabile Societatis, offerebatque de suo vectigalia tribus alendis hominibus; majora enim pro præsentis copia non poterat. Quod doti conficiendæ deerat, id se supplementum spondebat Joannes Carolus Chodkievicius, supremus in Samogitia armorum Præfectus. Utriusque liberalitatem, actis impense gratiis, accepit Visitator Argentus, æquum existimans tam benevolæ eorum voluntati obsecundare. Reliqua erat deliberatio de loco, ubi collegium excitaretur. Episcopus magnopere pugnabat pro urbe sua Episcopali Vormatia. Chodkievicius, etsi rem Societatis arbitrio permittebat, tamen si Scudium suæ ditionis oppidum eligeretur, commodiorem amplioremque pollicebatur domum, & censum multo lautiorem. Contentionis arbiter erat P. Argentus, qui aperte professus, non id agi ut Patres laute viverent, aut commode habitarent, sed ut populis utile ministerium exhiberent, reliquis urbibus præferendam censuit Crosam, quippe oppidum in media fere Provincia situm, eoque facile adeundum a Provincialibus, & ex quo invicem ad omnem circa regionem excurri non incommodè posset. Erat hoc oppidum in ditione Nicolai Christophori Radzivilii, viri Societatis nostræ amantissimi, qui haud ita pridem ære suo collegium Niesvicense fundaverat. Is ut accepit quod de Crosensi decretum fuerat, delectatus ea re majorem in modum, domum quam Crosæ habebat satis amplam, & huic adjunctam aream, nascenti collegio donavit. Pari liberalitate Martinus Syzkowskius Plocensis Antistes, Societatem in urbe sua Episcopali constitui cupiens, fundum ad collegium inædificandum obtulit, ædes pro præsentis usu conduxit, & ex bonis Ecclesiæ suæ detractis proventum aptum attribuens, Ploci collocatam vidit hoc ipso anno familiam Societatis, apertas latinitatis scholas, in iisque florentissimam Juventutem

tem pietati ac litteris operantem. Cæterum Plocensis sedes collegii statum & nomen non obtinuit, nisi post annos circiter novem. Martino enim ad infulas Cracovienses provento, successor Henricus Firleus, etsi amans Societatis, donationem ex bonis Ecclesiæ factam per diu ratam habere noluit. Atque hæc de Provinciis septentrionalibus, quæ vergunt ad orientem solem.

Earum quæ jacent ex adverso, prima est Belgium. Hujus domicilia Claudius Aquaviva ante quadriennium in duas Provincias diffraxerat; attributis uni Civitatibus, quæ Flandrica utuntur lingua, alteri quæ Gallica: unde illi Flandrobælgicæ, huic Gallobælgicæ nomen. Utraque hoc anno novis aucta est domiciliis. Ut de Flandrobælgica dicere incipiam, Antuerpiæ ex collegio domus Professorum est facta, & nova collegio sedes data. Debuimus id, cum solertia Caroli Scribani Præpositi Provincialis, tum maximè civium liberalitati, & pro no erga nos animo. Quærentibus enim nostris opportunum transferendo collegio locum, Senatus urbanus domum addixit amplam, quæ olim Anglis negotiatoribus locari solebat. Huc ergo immigrarunt qui rem scholasticam curaturi erant Patres: qui verò in veteri domicilio relicti sunt, ii mendicato vivere, & eam paupertatis formam servare cœperunt, quam B. P. Ignatius propriam Professorum domibus esse voluit. Haud multo post Liræ domus tertiæ, ut loquimur, probationis erecta est. Ab urbe Antuerpiensi novem circiter millibus passuum distat Lira, Brabantia oppidum haud ita magnum, sed amœnitate situs, & ædificiorum frequentia elegantiaque laudatum, remotum præterea ab omni strepitu, cum aulico, tum forensi, eoque nostrorum secessui apprime idoneum. Cum parata jam esset domus, affuerunt ibi circa dimidium ætatis decem ex nostris Sacerdotibus, iterum instituendi, probandique Tironum more: quæ res ignorantibus id esse è consuetudine Societatis, admirationem ingentem movit, eoque majorem, quod erant inter illos aliqui jam Rectorum munere, aut publicis Philosophia, ac Theologiae magistris perfuncti.

Quod pertinet ad res gestas hujus Provinciae, admirationi fuit Antuerpiensibus aliena salutis studium ab operariis Societatis in teneriorem quoque ætatem diffusum. Erat in agro proximo Opilionum ingens numerus, quorum liberi, vel inopia, vel incuria parentum, nullis neque litteris, neque christianæ doctrinæ rudimentis imbuebantur. Eorum miseratus vicem P. Gulielmus de Pretere, ut forte præerat frequenti adolescentum sodalitiõ, ad eos retulit, vellent ne in obsequium B. Virginis miseris illos rusticorum pueros docere rudimenta fidei, ac primam præterea legendi scribendique artem? Excepta est cum incredibili omnium assensu relatio. Fit in communi decretum de ea re, scribuntur leges, sua cuique pars operis committitur. Atque exinde visi per dies festos grandiu- sculi adolescentes partitis agminibus in suburbia prodire, & inopum puero- rum manipulos cogere ad audiendam fidei doctrinam, qua ad eorum captum explicata, singulos deinde lectione ac sermone exercebant, præeuntes voce, du- centes manum, hujus laudantes solertiam, illius ignaviam increpantes, ea non solum patientia, sed etiam assiduitate, ac peritia, ut hæc intuentes viri gran- diores, hærerent admiratione defixi, quidam a lachrymis non temperarent. Ve- rum hæc in speciem leviora. Jamdiu, auctore Alexandro Farnesio, Societas in Belgio missiones instituerat, quas castrenses dicimus: præclarum inventum ad fovendam inter milites pietatem, illam scilicet rem, qua nulla in castris utilior; nam & disciplinae militaris custos est pietas, & in acie virtutem bellicam acuit. Nunc, præter alios ubique inter copias & arma commorantes, septem versa- bantur nostri ordinis Sacerdotes Vesalia in Ducatu Clivienli: huc enim Archi- duces ingens præsidium contraxerant ad continendos Batavos, qui Juliacum in- terceperant, & Austriaci imperii finibus imminiebant. Erat porrò Vesalia, non modò partium hæreticarum, sed Societati nostræ infensa usque adeo, ut passim cives discitarent, minus gravia sibi futura triginta cohortium hyberna, quam esset exigua illa Jesuitarum manus. Cum non possent nostros excludere mœnibus, saltem ab eorum congressu arcere conabantur populares suos, acerbis conviciis

To. I.

E

&amp; ma-

73.  
RES FLANDRO-  
BELGICÆ.  
Antuerpia  
domus professorum  
constituitur, trans-  
lato in aliam sedem  
collegio.

74.  
Liræ domus  
tertiæ probatio-  
nis erigitur.

75.  
Pueri ad cultu-  
ram puero-  
rum adhibiti, cum  
magno fructu.

76.  
Nostri in mis-  
sione Castrensi  
utiliter laborant  
Vesalia.

& maledictis excipientes, si quem deprehendissent ad domicilium nostrorum divertere. Omnino nullus relinquebatur Patribus locus juvandi tam male affectos oppidanos. At militibus dici vix potest, quantum prodesset eorum præsentia, & labor. Collecti erant milites ex tribus nationibus, Hispani, Belgæ, & Sequani, lingua inter se diversi. Omnibus proprio gentium sermone catecheses, concionesque habebantur, quarum is plerumque erat exitus, ut multi veteres conscientia maculas confessione purgarent. Pomeridianis horis Patres, præsidia stationesque militum obeuntes, insinuabant se illis per speciem familiaris colloquii, sermonem jucunda aliqua narratiuncula condiebant, rectè ac malè factorum diversos exitus ostendebant, hisque artibus homines talium inexpertos sensim ad meliorum imitationem, ad fugam deteriorum impellebant. Promovebant in primis cultum B. Virginis, quem hæretici, non minus stultè quam impiè, idololatriæ affinem putant, nos inter præcipua pietatis officia, aut incitamenta reponimus. Et forte res accidit memorabilis, unde ipsi intelligerent Heterodoxi, Deo rem gratissimam facere, qui ejus Matrem venerantur. Miles erat Vesaliæ olim à Turcis in servitutem abductus, nec manumissus, nisi post annos duos supra viginti. Præter alia crudeliter in eum facta, illum Turca lingua multaverant, qua miser carens, nutibus, ac digitorum motu pro vocibus utebatur, eratque propterea in castris notissimus. Is ergo mense Majo hujus anni, cum homologesim apud nostrum Sacerdotem peregisset mutis tantummodo, ut solebat, signis, repente loquendi facultatem recepit, qualem habuerat ante injuriam Turcicam. Fama miraculi momento temporis castra urbemque pervagata, magnam hominum frequentiam ad eum contraxit. Quibus ille, repetens ab initio quam multa à barbaris, quamque immania per annos ipsos viginti duos pertulisset, toto eo spatio, adjecit, se quotidie Aspircollensi Deiparæ supplicasse, ut aliquanto saltem ante supremam diem usum vocis sibi restitueret. Id se non alia magis causa postulasse, quam ut posset ad ejus laudes aliquid de suo addere: & olim audisse intimam, & elaram vocem, quæ promittebat, voti compotem fore. Non hic referam, qui motus animorum sint facti in tam comperto miraculo, quantum lachrymarum fuscum, ut omnes ad colendam impensius Virginem incaluerint; hæc enim facile quivis cogitatione possit. Rem, ut à me traditur, accepit P. Carolus Scribanus ex relatione nostrorum Vesaliæ commorantium, eamque Mutio Generali perscripsit, addens, fuisse toto illo tractu regionis testatissimam. Hæc in Flandrobælgica.

78.  
RES GALLOBEL-  
GICÆ.  
Fundatur colle-  
gium Huenicæ.

79.  
F Et post mul-  
tas difficultates,  
etiam Bethu-  
nienicæ.

In Gallobælgica tria nobis collegia hic annus addidit, alterum Hui Eburo-  
num, Bethuniæ alterum, tertium Malbodii. Huum ad Mosam jacens Leo-  
dium inter & Namureum, oppidum est in ditione Episcopi & Principis Leo-  
dientis, ameno loco situm, nec populo infrequens. In hoc oppidum ante ali-  
quot annos Societatem vocaverat Ferdinandus a Bavaria Episcopus Leodientis;  
sed tunc Patribus, nescio qua causa, visum non fuerat uti beneficio illius. Nunc  
autem duo nostrorum, Joannes, & Ægidius de Mean, germani fratres, atque  
indidem cives, cum statuissent de communi patrimonio fundare in patria sua  
domum Societatis, illud perfecere primum, ut donationem Præpositus Genera-  
lis reciperet, deinde ut Princeps, & Magistratus urbanus nostros admitterent in-  
tra urbem, etiam si Cœnobitæ nonnulli acriter reclamarent. Nonnihil operi per-  
ficiendo contulit vir in civitate honestissimus, Lambertus de Outrelouiso, qui  
tres habens in Societate filios, eorum gratia prædium suburbanum nascenti col-  
legio transfecit. Gravioris negotii fuit sedem Bethuniæ figere in Artesia. Joannes  
de Loos cœnobii Choquenensis Abbas ante annos quatuor domum Bethuniæ  
coemerat, tunc nostris hominibus habitandam, si quando, ut sperabat, colle-  
gium ibi conderetur. Ne fieret, obstabant civium plerique, avertabantque eo-  
rum a nobis animos religiosi quidam alterius ordinis, pollicentes, si domicilium  
sibi Bethuniæ, & gymnasii publici administratio traderetur, se docendi munus  
ita gesturos, ut nec stipendium exigerent, nec stipem a civibus corrogarent.  
Ob hæc causam per diu res hæsit in ancipiti, donec ex Arienfi collegio Bethu-  
niam

niam venit ad concionandum P. Ægidius Bouchier. Ejus autem adventu, concionibus, consuetudine, ea facta erga nos omnium ordinum inclinatio, ut jam alterius tam liberalis familiæ nec mentio fieret. Apertæ sunt illico scholæ tres, faventibus præter omnium opinionem, & suos in collegium liberos deducuntibus iis quoque, qui nihil intentatum reliquerant, ut Societas oppido excluderetur. Quid plura? Carentibus sacra æde nostris ultro civitas utendum permisit facellum, quod habebat maximæ religionis, Sanctis Eligio, & Nicolao dicatum. Ita cœpta Bethuniensis domus, quæ tamen justam collegii dotem non obtinuit, nisi post annos ferè septemdecim, cum Baro de Libersart Societatem ingressus, ejusque Avunculus Dominus de Nedonchel Tornacensis Ecclesiæ Archidiaconus, eam bonorum suorum hæredem scripsere. Citius collegii dotem & dignitatem est consecuta sedes Malbodiensis. Malbodium Artesiæ oppidum est in Diœcesi Cameracensi. In hoc oppido Matriona erat nobilis & locuples, Francisca Brunella, vidua Hugonis Burgheſii, viri multis nominibus insignis, & notæ in nostrum ordinem benevolentia: quæ spectatissima femina cum duos filios, spem familiæ unicam, dedisset jam Societati, nunc denique etiam domum, & magnam patrimonii sui partem fundandæ Malbodii domui Societatis addixit. Auxit proventum non mediocriter Archiepiscopus Cameracensis Franciscus Vanderburghus. Ædes necessaria suppellectili, sacra, & profana, oppidani instruxerunt. Nec silenda liberalitas religiosissimi viri Antonii de Winghe Latiensis Monasterii Præsidis, qui nascenti collegio censum annum ducentorum florenorum attribuit. Hoc igitur anno, reversus Roma à comitiis generalibus P. Joannes Herenius Præpositus Gallobelgiæ, Malbodiensem domum adjunxit Societati. Triennio post, tres apertæ sunt juventuti classes, & quæ hætenus residentia fuerat, eam Mutius Generalis collegii nomine honestavit, Rectore imposito, qui omnium primus fuit P. Joannes Burgheſius, ejus quam supra memoravimus Viduæ filius natu major.

Crescente in hunc modum numero collegiorum in Gallobelgica, Sociorum quoque ardor, & divinæ gloriæ amplificandæ studium augebatur. Non referam per partes quidquid gestum ubique est, ne siam prolixior. Ut aliqua tamen indicem, Duaco, Audomaro, Leodio, Insulis, Cameraco, in proximas regiones itum est cum Evangelico ministerio, & divini verbi semen ubique cum ingenti fruge jactum. Valencensis Præses cœnobii Marchienensis non solebat tirones suos ad solemne professionis sacramentum admittere, nisi prius fuissent certo anno juvenes septem, eosque ad religiosæ vitæ cursum optimè animatos recepit. E' collegio Luxemburgensi profectus ad insigne virginum Parthenonem inter Lotharingiam, ditionemque Luxemburgicam unus ex nostris, non modò veteris disciplinæ formam, quæ magna ex parte conciderat, excitavit, sed & virginibus persuasit, ut se iterum, atque ultro subjicerent Trevirensi Pontifici, cui ante annos quadraginta parere desierant. Duo fuerunt milites Luxemburgi capitali pœna damnati, qui cum ignominiam patibuli iniquissimè ferrent, tamen hortatu nostri Sacerdotis ad supplicium processere alacres adeo, ac tanta spe vitæ melioris erecti, ut palam affirmarent, sibi eam diem ex omnibus esse faustissimam: quam animi firmitatem ad extremum usque retinentes, spectatorum multitudini lachrymas excussere. Præter hæc, plures eodem anno fuerunt e sectis hæreticorum ad Catholicas partes reducti. Sed longum esset omnia hujus generis diligentius persequi.

His ergo præteritis, ex Belgio gradum facimus in Provinciam Rhenanam, quæ quidem per illud tempus nondum erat, ut nunc, divisa in superiorem, & inferiorem, sed continebat quidquid domiciliorum habet Societas in Westphalia, Franconia, Thuringia, ac toto illo terræ tractu, qui Rheno adjacet inter Alsatiam, regionemque Juliaci, & Clivie. Initium narrationis ducimus à collegio Wormatiensi, quod anno hujus sæculi nono cœptum Fundator novis in diem beneficis ornare perrexit, donec anno labente moriens optimè constabilitum.

To. I.

E 2

reli-

80.  
Initia collegii  
Malbodiensis,  
& multorum li-  
beralitas erga  
illud.

81.  
Acta Sociorum  
in variis Pro-  
vinciæ partibus.

82.  
RES PROVINCIAE  
RHENANÆ.  
Fundatur Worma-  
tiæ collegium  
ab Episcopo.

83.  
Civium conata  
ad arcendam  
Societatem ir-  
rita.

reliquit. Wormatia Rheno imposita inter Moguntiam, & Spiram, Palatinatus inferioris amantissimum agrum occupat, Comitibus Imperii, & Antistitem concilii notissima. Lutherana pestis primos afflatus ita hauserat, ut præter Clerum, paucos admodum numeraret sanæ doctrinæ religionisque cultores. Societatem verò nostram execrabatur usque adeo, ut ejus nec nomen ferre posset. His nihil perterritus Wormatiensis Episcopus Wilhelmus ab Efferen, penès quem jus imperii, tum sacri, tum civilis erat, rem populo quidem odiosissimam, sed æquè, ut arbitrabatur, salutarem magno animo, nec minori prudentia suscipiens, primò duos, deinde alios totidem nostri ordinis Patres Wormatiam immisit eo animo, ut paulatim collegii fundamenta poneret. Cognito Episcopi consilio, cives tumultuari haud secus, quam si pro aris & focus pugnandum esset. Arma sumunt, & in ipsas Principis ædes impetum se facturos minantur. Compressa seditio est, primò constantia illius, deinde interdicto supremi Spirensis consilii, postremò litteris Rodulphi Cæsaris, quas Germani Protectoriales appellant: quibus litteris si quem dignetur Cæsar, ei nemo intra fines Imperii nocere potest, salva majestate Cæsaris. Non proinde Lutheranis voluntas extrudendi Patres, si quo modo citra vim possent, defuit. Non contenti jactare minas, famamque Patrum conviciis obterere, ad vicinos Protestantium Principes litteras atrocissimas dederunt, a quibus etiam scriptæ sunt aliæ ad Wormatiensem Episcopum plenæ minarum, & in Societatem contumeliosæ. Sed his in conventu Principum Electorum, qui per idem tempus habebatur Norimbergæ, recitatis, graviter stomachati Catholici Principes, Antistitem hortati sunt, ut neglectis Protestantium litteris, ac minis, jus suum, & libertatem religionis tueretur. Accessit amplissimum Cæsaris diploma, quo privilegia omnia Clero Wormatiensi olim concessa, Societati prolixè impertiebantur. Quare sublato omni metu, constitutum rite fuit collegium anno sæculi terdecimo. Molliti interim sunt nostrorum præsentia animi, & vetus odium ex parte refrigit. Placuit Patrum in obeundis instituti sui ministeriis assiduitas, eruditio, & charitas, præsertim cum unus ex illis pauperem in publico jacentem, atque ab omnibus contagiosi morbi metu derelictum, sustulit in humeros, & in nosocomium deportavit, non sine præsentis charitatis præmio, siquidem paulo post eodem ipse correptus morbo decessit. Animatus benevolentia civium Præsul, & meliora in dies animo præcipiens, fovebat impensè nostros, iisque ut sociis, & adjutoribus in Episcopatu administrando utebatur, identidem affirmare solitus, constare sibi fructum pecuniæ, quam in fundando collegio collocasset. Censum quoque amplificare, meditabatur: Sed hæc cogitantem mors oppressit, hoc ipso anno labente. Morienti, non Wormatienses tantum Patres, sed etiam Spirenses, ut patrono suo amantissimo, affuerunt.

84.  
Wormatienses  
paulatim erga  
nos mitigantur.

85.  
Collegii Fun-  
dator Episcopus  
moritur.

86.  
Paderbornæ, &  
Molsheimii stu-  
diorum Univer-  
sitas instituitur.

87.  
Residentia  
Xanthenis ini-  
tia.

Vertente eodem anno Theodorus à Furstembergio Episcopus Paderbornensis, pro certo statuens, ad excindendas hæreses, quæ ante adventum Societatis totam illam Dioecesim corruperant, momenti plurimum attulisse scholas collegii pridem a se Paderbornæ fundati, eas ita augere constituit, ut ad ordinem Gymnasii universalis assurgerent. Additis propterea ad alendos disciplinarum Professores novis vestigalibus, diplomata impetravit Matthiæ Cæsaris, & Pauli V. Pontificis, quibus jura omnia, ac privilegia Universitatum Paderbornensi collegio tribuebantur. Pari modo Leopoldus Austriacus Ferdinandi Cæsaris frater, Episcopus Argentoratensis, Molsheimiense Societatis gymnasium, cum tituli dignitate, tum numero disciplinarum amplificandum curavit. Xantheni interim, quod celebre oppidum est Cliviæ in Coloniaensi Dioecesi, domus Societatis collocata est ex earum genere, quas residentias dicimus. Ante Lutherum summam huic oppido conciliabat celebritatem memoria S. Victoris e Thebæorum legione Martyris, cujus corpus pia Constantini Mater Helena insigni Basilica nobilitaverat. Sed sparsa latè per Germaniam hæresi, huc etiam irrepperant pestilentis mali germina: & jamdiu in illam præcæ religionis Basilicam imminebant impii grassatores eo ardentius, quod mortuo sine liberis

Gulielmo Cliviæ duce Catholico, Joannes Sigismundus Septemvir Brandenburgicus, & Wolphangus Wilhelmus Palatinus Neoburgicus, ambo id temporis heterodoxi, de successione certabant. Dolebant impendentem cladem Canonici, quorum est Xanthi collegium in primis nobile. Ad eam porro avertendam, anno labentis sæculi nono, Societatis auxiliarem manum evocaverunt è vicino Embricensi collegio, nec vero frustra. Auditis nostrorum concionibus, excitati sunt Catholici, ut avitam religionem contra novitatis illecebras, & insidiosam falsitatem defenderent. Compulsi præcones erroris, aut filere, aut fugere. Sacrorum frequentia, jejunii leges, res jamdiu ob licentiam temporum jacentes, in usum pristinum restitutæ. Quæ videntes civium primores, & capita Sacerdotum, male factum aiebant, quod operam Societatis non multo antea quævivissent, statueruntque semel advocatam perpetuò esse retinendam. Assensere Moderatores Societatis, aliisque submissis Patribus, ex missione incerta ac temporaria stabilem, ut loquimur, residentiam hoc anno constituerunt. Circa idem tempus Ferdinandus à Bavaria, Colonienfis Septemvir, & Episcopus Monasterienfis, nostros in Embslandiam induxit. Westphaliæ tractus est Embslandia, intra fines dioecesum Monasterienfis, & Osnabrugensis, utrique Episcopo parens, illi jure Sacerdotii, huic Imperii. Jamdiu tota regio in partes Lutheri transierat, cum ad eam hæresi liberandam Ferdinandus omnem curam intendens, Mappenæ, quæ caput est regionis, pulsus nefariæ sectæ præconibus, duos collocavit nostri ordinis Sacerdotes. Hi principalibus adjuti edictis, brevi oppidanos ad Ecclesiam reduxerunt. Princeps successum consiliorum suorum videns oppidò lætum, & in spem meliorum erectus, Vætham quoque, quod alterum est Embslandiæ oppidum, par sociorum immisit. Verum hi, quamvis nec labori parcerent, nec industriæ, toto sexennio operæ pretium fecerunt nullum, aut perexiguum: donec tot annorum sterilitatem unius feracitas compensavit, ut suo infra loco memorabimus.

Interim alii duo Patres, Frideslariæ feliciter defudantes, religionem omnino collapsam excitabant. Oppidum est Frideslaria intra fines Hassienfis Ducatus, haud Cassela procul, in ditone Septemviri Moguntini. Floruerat ibi religio ac pietas ut sicubi usquam usque ad Lutheri tempora, extabatque adhuc, præter insigne Canoniorum collegium, celebre Monasterium, cujus fuisse auctor dicebatur S. Bonifacius. Sed Hassiani proximi, sub ipsa nascentis hæresis initia Lutherum secuti, Frideslariam quoque in partes traxerant, vix avitæ religionis relicto vestigio. Populus Pastores non sumebat nisi de secta; cur autem nollet de Ecclesia, causabatur pravos Clericorum apud se degentium mores: quasi verò coelestium dogmatum veritas ex docentium vita penderet. Erat hoc tempore Archiepiscopus Moguntinus Joannes Svicardus è clarissimo Crombergiorum genere, vir sæpe nobis cum laude memorandus, qui Romæ apud nos educatus in collegio Germanico, flagrantissimum religionis studium cum singulari erga Societatem benevolentia conjungebat. Is ut occurreret gliscenti malo, quod in vitia Sacerdotum rejiciebatur, ab emendatione hujus ordinis initium duxerat, misso Frideslariam Inspectore, qui Clericorum libidines coerceret, eosque cogeret congruentes professioni sacræ mores induere. Claudi post hæc Templum Lutheranorum, nec nisi Catholicorum conciones frequentari jufferat. Postremò duos immiserat è nostro collegio Moguntino Sacerdotes, qui privatis publicisque sermonibus salutis æternæ viam erranti populo commonstrarent. At Patribus initio visâ res multo impeditior, quam ut explicari facillè posset. Negabant præfractè cives, sese à Luthero discessuros aliquando, fremebant liberè contra nostros, apertam vim minabantur, si forte multis, pignoribusque, aut quovis alio coercionis modo ad professionem Romani cultus compellerentur. Seditiosus & contumacibus animos faciebat vicinus Hassianus, cujus opem sciebant sibi affuturam, si forte arma adversus Principem religionis causa sumpsisset. In hoc statu rerum prudentissimus Archiepiscopus consilium cepit Pastore dignum, non indignum Principe. Litteras exaravit ad duos, quos dixi, Patres, plenas cha-

88.

Societas in Embslandiam inducitur.

89.

Instauratur religio Frideslariæ, adnitate Archiepiscopo Moguntino.

90.

Refractarii cives vincuntur benignitate Principis.

charitatis atque clementiæ, quibus cæcitatem populi Frideslarionensis in exitium sempiternum ruentis paternè deplorans, eos etiam atque etiam hortabatur, ne propterea desponderent animum, sed porro pergerent vel nolentibus, & invitis salutem offerre. Sibi quidem, agebat, in eo negotio aliud nihil esse propositum, quam ut oves sibi creditas ad æternam vitam perduceret. Agerent ipsi in hunc finem quod e re futurum putarent: sed has interim litteras palam legerent, ac populo in mentem reducerent obedientiæ sacramentum, quo Principi tenebantur. Fecerunt ut jussi fuerant Patres. Recitatis autem in Senatu litteris, videre licuit, ad flectendos hominum liberalium animos quid possit benignitas, atque clementia. Pars maxima Senatorum ultro professi sunt, se futuros in potestate Archiepiscopi & Patrum, ac re ipsa fuerunt. Solus obfirmavit ad contumaciam populus, nec verò subigendus verbis ullis, aut litteris videbatur. Quo enim rudiora sunt ingenia, eo minus benignitate tanguntur, & nisi vi comprimantur, insolescunt ferocius. Sed ille etiam ad extremum respuit, partim metu Cæsaris, cujus allata sunt edicta gravissima, partim divinæ severitatis terrifico exemplo, quod uni exitiale, cæteris documento fuit. Mulier præter modum impia, & pervicax, imprecata sibi fuerat, ut cervicem prius frangeret, quam Jesuitæ concionanti aures daret. Eadem paulo post lapsa per scalarum gradus, fracta cervice interiit: quod ut in vulgus emissum est, conversi momento sunt omnium animi, & ex refractariis dociles facti, nemine non agnoscente divinæ voluntatis manifestum indicium. Jam ergo alia erat civitas, ac fere ex toto Catholica, parabantque nostri, ut nihil habentes præterea quod ibi agerent, Moguntiam regredi ante exitum hujus anni: cum Hassianorum Lantgravius, veritus, ut arbitror, ne ditionis suæ populi exemplum vicinæ urbis sequerentur, acres ad Moguntinum perferipit litteras, vehementer postulans, ut nostros Sacerdotes quamprimum abduceret Frideslaria, & malum per ambages denuntians, nisi faceret postulata. His litteris Præsul non amplius est motus, quam ut eodem induceret alios duos. Adeo Principi iniqua postulanti nihil indulgendum censuit. Collocata itaque est Frideslaria, ut in sede stœbili, nostrorum familia, eique ad usum sacrorum attributa ædes S. Bonifacii. Curare paulo post cives, ut ad liberorum suorum institutionem tres aperirentur ludi latinitatis, quo paulatim ea domus ad collegii formam excrevit. Sed afflictæ post annos fere quindecim turbine belli Svecici, adhuc jacet.

91.  
Stabilis Societati sedes tribuitur Frideslaria, invito Hassiæ Lantgravio.

92.  
Scholæ Societatis in tota Provincia celebrantur.

93.  
Abstinentiæ exemplum memorabile a puero Catholico editum.

94.  
RES  
ANGLICANÆ.

Cæterum scholæ Societatis in Rheni Provincia ipsi laudabant Heterodoxi, fatebanturque ad Rempubliam pertinere, ut nostri juventutem ubique litteris informarent. Qui Societatis gymnasia frequentabant, modestia ipsa spectabantur inter cæteros adolescentes: Quod cum sæpius observasset in urbe Monasteriensi mulier locuples de Lutheri grege, censum emit, unde septima quaque die distribueretur certum panis demensum pueris centum quinquaginta collegii nostri scholas adeuntibus. Multo tamen magis nostrorum disciplinam celebrabant Catholici, qualis ea esset, ex puerorum pietate & moribus æstimare soliti. Fuldæ unus quidam civium, apud quem adolescens studiorum causa diversabatur, narrabat, se cum tota familia ad pietatem erudiri sermonibus, & exemplis illius. In Franconia vulgatum erat, ex quo ibi esse cœpissent gymnasia Societatis, adolescentium incredibiles concursus fieri ad Religiosorum cœnobias, eaque multitudinem sese offerentium non capere. Multa etiam extant in monumentis hujus temporis documenta constantiæ minimè puerilis, ab alumnis nostrarum scholarum edita, quorum ego unum ad specimen cæterorum subijcio. Puer annorum haud amplius septem Heiligenstadii fratres suos natu majores viderat vesci carnibus esuriali die. Non solum eos officii commonefecit, sed quia Parentes hæretici non alios apponebant cibos, nisi vitetos, ipse toto quadragenarii jejunii tempore, solo atque arido pane victitavit. Abstinentiæ exemplum sane admirandum, quod in tantula ætate vix crederem, nisi rei magnitudine major esset narrantis auctoritas.

Is erat rerum status ad Rhenum, cum Angliæ Heroem magni nominis mors

mors ademit, Thomam Pondum, cujus & alibi in annalibus Societatis est facta mentio, & nunc vita omnis breviter percurrenda. Natus ex nobili & opulenta familia Belmontii, quod oppidum est duodecim millibus passuum à Vintonia, fortitiusque à natura, non solum acre & exporrectum ingenium, verum etiam formam corporis elegantissimam, simul atque sui juris per obitum Patris est factus, transfudit se in aulam Londinensem, ubi patrimonium in luxu, ac splendore vitæ cultu prodigens, facile gratiam inijt ab Elisabetha Regina, cujus externè sectam profitebatur, licet à puero Catholicè institutus, ac politioribus etiam litteris egregiè excultus fuisset. Placebat ipse sibi Pondus, cum ob alia corporis animique ornamenta, tum præsertim ob saltandi artem, qua exercebat plurimum, nec fere parem habere in Anglia dicebatur, animæ ceteroqui, ac salutis æternæ penitus incuriosus. At non item ejus saluti indormiebat clementissima Numinis providentia. Qua potissimum parte debilem norat, ea misericors Pater juvenem nihil minus cogitantem adortus est, sibi que subjecit, Agebantur forte dies Christo nascenti sacri, eosque Regina, velut publicæ voluptati consecratos, saltationibus ac ludis celebrari jusserat in suo regali palatio: Ita namque servabantur sanctiores in Anglia dies, Muliere res Ecclesiasticas moderante. Pondus, cui ob singularem præstantiam data regendarum chorearum cura, non id solum curavit ut omnia rite atque ordine fierent, sed præterea in medium progressus, tam scite eleganterque saltavit, ut acclamatum illi fuerit ab omni nobilitate, quæ aderat frequentissima, nec ipsa continere se potuerit Regina, quin eidem amicissimè gratularetur. Successu elatus prospero, post modicam quietem, descendit in patentem aream denuo, spectante circum theatro, & plaudente. At dum maximè corpus librat agilitate incredibili, seque multiplices in orbem rotat, correptus subita verrigine concidit, jacuitque humi prostratus. Eo casu versa momento vices. Tollitur malignus clamor exprobrantium turpitudinem, atque irridentium. Sannis ac stabilis tota aula personat. Regina ludibrio contumeliam addens, bovem cum insigni contemptu appellavit, & surgere jacentem jussit. Surrexit a lapsu Pondus pudore oppletus. At secum reputans tantam ex fortuito casu rerum conversionem, facile intellexit, nihil in hominum favore tutum ac fidum esse, omni autem pelago mobiliorem fallaciorumque esse aulam fortunam. Itaque ex eo temporis puncto valere aulam jubens, Belmontium natale solum repetiit, uni posthac sibi ac Deo victurus in professione Catholica, quam nunquam ex animo deposuerat. Non secus ac statuerat fecit. Biennium integrum domi delituit, meris divinarum rerum commentationibus, precibus, ac lectione pia mentem excolens, corpus cilicio, jejuniis, flagris exercens. Hæretici ut male sanum, eoque mentis ægritudine, & desperatione adactum traducebant. Ille post duos annos solitudinis, quasi Apostolica vitæ tirocinio esset perfunctus, prodiit in publicum, & curas inter suam & proximorum salutem divisit. Rudes erudiebat, multis, præsertim tenerioris ætatis, errorem eximebat, Catholicos voce & exemplo ad constantiam confirmabat. In ejus domo, quæ solis patebat Catholicis, tanquam in publica pietatis palæstra, omnia religionis officia peragebantur. Urebat ea libertas Eterodoxos, neque hoc Pondus nesciebat: pergebat tamen forti ac magno animo, tunc se beatissimum fore dicitans, si pro ejusmodi causa induere vincula, & ad supplicium rapi contingeret. Inter hæc, oblatis casu litteris nescio quibus nostrorum in India desudantium, cum relatione rerum, quæ ibi inter barbaros gerebantur, sensit se intimo instinctu pelli ad amplectendam Societatem, tunc fama duntaxat sibi cognitam. Multo est magis incensus pio desiderio, cum occasionem nactus alloquendi Sacerdotem nescio quem nuper Roma in Angliam advectum, de instituti nostri ratione uberius edoctus est. Rupit moras omnes, assumptoque viæ & ejusdem consilii comite Thoma Stephano, lectissimo juvene, ad Romanum iter se accinxit, ut in Societatem reciperetur. At Londinum delatus, dum parat navigium conscendere, oppressus repente à satellitum globo, ad Pseudoepiscopum Londinensem primò, inde, quia nullis adduci suasio-

Mors est Elogium Thomæ Pondi, ejusque vitæ synopsis.

nibus potuit, ut concioni Protestantium vel semel interesse vellet, in carcerem abripitur. Non ultra sex menses hæsit tunc quidem in vinculis. At Belmontium remissus, dum nihilo secius pergit Catholicis animum facere, & Hæreticorum deliramenta palam refellere, capitur denuo à Pseudoepiscopo Lancastriensi, & in tenebricosam custodiam conjicitur. Sensit Pondus, non adeo brevi se vinculis exemptum iri posthac. Quod itaque coram non licebat, id conari per litteras statuit, ut cooptaretur in nostrum ordinem, eoque consilio misit Romam ad Generalem Præpositum Societatis (is erat tunc Everardus Mercurianus) quem dixi Stephanum familiarem suum, ut negotium urgeret. Peroravit Stephanus tam appositè, tum pro Pondo, à quo fuerat missus, tum etiam pro se ipso, ut utrumque Generalis receperit. Ac Stephanum quidem attinuit in Romano tyrocinio, missiōni Indicæ destinatum. Ad Pondum vero scripsit admissionis litteras in hæc verba. „ Etsi instituta nostra ita ferunt, ut nullum, nisi  
 „ bene multis probatum experimentis, in numerum nostrum recipiamus; tamen  
 „ tam luculento, tum Stephani, tum aliorum testimonio permoti, & pro idonea  
 „ probatione tot annorum labores & ærumnas accipientes, pro ea auctoritate,  
 „ quam nobis licet indignis Dominus Deus dare dignatus est, jam nunc Dominationem  
 „ vestram tanquam Filium & Fratrem amplectentes, illam in Societatem  
 „ nostram recipimus, & admittimus, & ut verum membrum huic corpori infer-  
 „ tum, deinceps nostrorum omnium operum, laborum, meritorumque confor-  
 „ tem, ac participem facimus. „ Has accepit litteras Pondus anno MDLXXXVIII,  
 cum numeraret annos ætatis triginta quinque, & jam duos exegisset in carcere. Quis verò ullis consequi verbis possit, quo exilierit gaudio, cum se compotem aliquando tandem vidit ejus voti, quod ante annos quinque conceptum aluerat hætenus incredibili ardore? Vestem quidem Societatis non induit, namque id in Anglia nefas: Verumtamen nullam exinde omisit rem, qua se verum Societatis filium probaret, commercium litterarum perpetuum habens cum P. Personio, qui post paulo irrepsit in Angliam, nutus ejus exquirens, eidem ut suo Præsidi per omnia obtemperans, quæ demum nostri sunt instituti, quantum conditio loci ac temporum patiebatur, exactè servans. Attinebatur interim in vinculis, quæ per annos continenter triginta duos nunquam exiit, licet mutare illa identidem cogeretur, quia ut quemque ingressus fuerat carcerem, in eo Hæreticos omnes ab errore ad veritatem trahebat. Sunt in Anglia, ac Londini præsertim, reorum custodiæ admodum horribiles, depressæ alicubi, subterraneæ, angustæ, luci aerique prorsus imperviæ, uliginoso luto, ac graveolentia intolerandæ, sepulcra verius, quam carceres. Ex his ergastulis multa nobilitavit præsentia & pietate sua Pondus, maxime verò Wisbicensis, in quo decem ipsos annos confecit, compedibus præpeditus, ferro onustus, omnis omnino humani solatii expers; letus tamen in tantum, ut illis solummodo invideret, qui a vinculis ad patibulum religionis causa traducebantur. Sortem hanc expetebat unicè, nec vero per ipsum stetit ne impetraret. Olim productus est ad tribunal cum Catholico nescio quo Sacerdote. Quærebat ex Sacerdote Judex, num Romanus Pontifex, an Regina supremam obtineret Ecclesiæ potestatem in Anglia? Tergiversanti animum addidit Pondus. *Dic, ait, liberè Romanum Pontificem: Nam quale monstrum, Ecclesiæ caput esse Feminæ caput!* Ea vox capite erat luenda: tamen Pondo, quia gloriosæ necis cupientissimo, nex est condonata. Mortua Elisabetha, cum meliora sperarent Catholici sub Jacobo Rege, Pondus ex suo carcere libellum supplicem misit ad Regem, commendans illi causam innocentium Catholicorum, quos nimis multum oppressos ajebat ab Hæreticorum factione. Ob eam rem calumniæ est postulatus in judicio, & tamquam mendacii comperto præcisæ ambæ aures, addita quatuor millium aureorum multa Fisco persolvenda, ac perpetui carceris denunciazione, nisi Catholicos sibi notos, eorumque fautores indicaret. Nihil propterea exculpere à viro fortissimo potuerunt. Quare Rex, vel desperans hominem ejus fortitudinis vinci posse, vel famam clementiæ quærens, exorari se tandem passus est ab Oratoribus Gallico & Ve-

& Veneto, qui nullam culpam promeritum in libertatem restitui postulabant, deditque eorum deprecationi, ut vinculis solveretur. Rediit Belmontium præclarus fidei Pugil cano capite, atque alba barba, quippe jam major sexagenario, documentum illustre circumferens ejus constantiæ, qua pro religione vera certandum est. Sed in corpore squalido, ac diuturnis ærumnis debilitato, ingens uti prius animus, ac minime infractus. Undecim annos vitæ reliquos habuit, eosque ita exegit, ut emeritum Christi militem decuit, suæ semper studens & alienæ salutis, paratus in omnem casum se dare pro Catholica veritate, nullum finem ejus tuendæ ac promulgandæ faciens, donec tandem hoc anno, III. nonas Martii, ad premium laborum est evocatus, anno ætatis suæ septuagesimo sexto. De Pondo, ejusque laudibus plura videri poterunt apud eos, qui de rebus Anglicanis fusè scripserunt. Nobis ad alia properantibus hæc cursim indicasse sufficiat.

Eodem anno labente Mutius Generalis novam constituit Provinciam Societatis in Gallia, ad quam modò transgredimur. Non enim Provinciæ dedit Campania, quippe pars ejus major, & potior, cui tamen adjunctum est quicquid habet Societas in Lotharingia, præter collegium Divionenſe, quod hætenus fuerat Provincia Lugdunenſis in Ducatu Burgundico. Mutium ut id decerneret multæ impulerunt causæ, sed præ cæteris duæ. Primò Patres Romam ad comitia profecti retulerant, latiùs patere Provinciam Franciæ, quam ut posset ab uno Prapósito suis temporibus obiri, atque inspicere; proptereaque censuerant dividendam. Deinde Henricus Lotharingiæ Dux ægre ferebat, suæ ditionis domicilia non seorsum regi a proprio moderatore, ac sæpe per suum Romæ Oratorem Mutio significaverat, gratissimum fore sibi, si à provincia Francica dirimerentur. His de causis Vitelleschus, quam facillè adductus est, ut novam Provinciam constitueret, tam æquum duxit eo quem supra docuimus modo illam describere. At enim descriptio Duci non placuit. Graves agebat esse causas, cur domicilia Lotharingiæ non essent communiter administranda cum illis, quæ supremæ curiæ Parisiensi sunt obnoxia. Hærebat deinde in novæ Provinciæ nomine, quod non à Campania, sed magis à Lotharingia petendum contendebat, vel certè ab aliquo Sanctorum, cujus tutelæ commendaretur, ut in nonnullis religiosi ordinibus fieri solet. Verùm super his ita satisfactum est Principi, ut demum de re tota consenserit non invitatus. Primus Provinciæ Campaniæ Præses est datus P. Ignatius Armandus, probata virtutis vir, & nuper administratione domus Professorum Parisiensis cum laude perfunctus. Provincia vix constituta augetur postmodum novo collegio Nancei, quod est Lotharingiæ caput, & sedes Principis. Debuimus beneficium Tullenſi Episcopo Joanni Porcelletto, viro nostri nominis studiosissimo, qui cum venisset hoc ipso anno Nancejum ad celebrandum in nostra probationis domo Beati P. Ignatii natalem diem, eodem die statuit novam B. Patris familiam suis opibus sustentare Nancei, & tabulas foundationis confici jussit. Ita rebus omnibus quæ erant celeriter paratis, post bimensem stetit Nancejanum collegium, & in eo tres litterarii ludi ad erudiendam teneriorem ætatem aperti sunt. Eodem anno Carolopoli (oppidum est Mosæ impositum in Campania) domus Societatis, quæ hætenus paucorum duntaxat capitum statio fuerat, ad statum nomenque collegii pervenit.

Verum inter hæc Provinciæ incrementa, damnum haud leve factum obitu P. Gubielmi Mardochoi, de quo viro dubites, plura ne pro religione gesserit, an toleraverit. Olim cum degeret Parisiis, vocatus fuit ad audiendum pro confessione hominem morti proximum, inductusque per dolum in intima penetralia cujusdam ædis. Ibi nihil metuentem circumstantes juvenes audacissimi, virgis immitibus armati, favere nimirum certi, ac ridere. Jam detrahere illi vestes cœperant: sed viso cilicio setis horrido, quo erat à collo usque ad pubem coopertus, tanta simul admiratione, & pœnitentia fuerunt capti, ut ad ejus pedes acciderint supplices, & cogitati sceleris veniam rogaverint. Missus inde in Scotiam natale solum, peragravit omnes regni partes annis quatuordecim, & rem Catholicam

To. I.

F

licam

95.  
RES CAMPANIE.  
Nova Campaniæ Provincia constituitur.

96.  
Descriptio novæ Provinciæ Duci Lotharingiæ non placet, & quare.

97.  
Principi satisfactus, & fundatur collegium Nancejanum.

98.  
E: statione Carolopolitana fit collegium.

99.  
Mors & collegium P. Gubielmi Mardochoi.

licam egregiè juvit, reductis ad veram fidem multis, pluribus qui nutabant, in fide confirmatis. Ejus precibus vulgo acceptam retulere victoriam, quam Comes Huntlaus Dux partium Catholicarum, etiam viribus longè inferior, retulit de Argilensi. Certe qua illi die in aciem exierunt, Mardocheus absens vocatos in eandem sacram Catholicos monuit, ut preces & vota pro communi causa facerent; nec multo post surgens à precibus, partem illo ipso tempore victoriam nunciavit. Lapsus in manus Hereticorum, & in custodiam conjectus, contumelias, & indignitates omnes subire coactus est, nunc vestibus dispoliatus, nunc contusus verberibus, saepe per tribunalia raptatus. Ut alia præteream, semel eum iudices toto circumduci jusserunt Edimburgo ornato sacrificiali indutum. Processit ille inter convicia & sibilos concitata plebis, nec quamvis luto & sordibus conspersus vultum dejecit. Ut ventum ad forum urbis frequentissimum, accensa est pyra, & Sacerdoti denunciatum, ut sua manu projiceret sacras in ignem vestes, projiciendus ipse, si facere cunctaretur. Risit vir fortissimus jussa impia, minas contempnit. Quare reductus in carcerem, squalorem & angustiam loci pertulit septem alios menses, donec indulgentia Jacobi Regis vincula mutavit exilio, & in Galliam transmisit, annum agens ætatis septuagesimum. Quod reliquum fuit vitæ, exegit Mussiponti, audiendis nostrorum externorumque confessionibus occupatus, quem laborem, etiam attrita plurimum valetudine, nunquam intermisit. Obiit XII. Cal. Septembris, annos natus undecoginta. B. Parentem Ignatium colebat studiosissimè, ejusque interdum præsentia & alloquio recreatus fuisse dicitur. Atque hæc de Provincia Campaniæ.

100.  
RES PROVINCIÆ  
FRANCIÆ.  
In comitiis Regni  
Societatis periclitatur.

101.  
Clerus & nobilitas  
Societatis patrocinium  
suscipiunt apud  
Regem.

In reliquis Gallicanis Provinciis, & maximè in Francica, trepidaverat anno superiore Societas, dum Regni conventus celebraretur Parisiis; nec sane deerant qui nobis per eam occasionem crimen quærerent, veteri rerum nostrarum odio inflammati, curarentque gravius aliquid contra nos statuendum. Periculum discussere Clerus, & Nobilitas, duo præcipui in sanctissimo illo gentis consilio ordines, quorum auctoritate nihil, neque ad exagitandam Societatem, neque ad tollendam, quod aliqui conabantur, inter Sacerdotium, & Imperium concordiam, decretum est. Quin ordo uterque, oblati paulo post Regi libellis, Societatem verbis amplissimis commendarunt. Liceat mihi ipsa eorum verba hoc loco attexere, cum ad memoriam tanti meriti sempiternam, tum etiam ut existat summa auctoritatis testimonium adversus illam libellorum turbam prope infinitam, quibus per idem tempus in Gallia Societas lacerabatur. Cleri preces totidem erant conceptæ verbis. „ Ea fuerunt olim, & nunc sunt in universam Ecclesiam, & in hoc potissimum Regnum, merita Societatis Jesu, ut nostri muneris esse censeamus Majestatem Tuam suppliciter orare, ut ad incrementum pietatis, rei que litterariæ, cujus utriusque disciplinam ejus alumni profitentur, iisdem potestatem facias scholas iterum aperiendi in Claromontano suo collegio Parisiensi, fungendique cæteris omnibus instituti sui ministeriis, quibus antea solebant. Tum indicata ratione tollendi controversias inde exorituras inter collegium nostrum, & Parisiensem academiam, hæc proximè subiciebantur. „ Illud præterea rogamus, ut Majestati Tuæ placeat, rata illis & firma esse, quæ in quibuscunque ditionis tuæ oppidis domicilia instituerunt, ac omnibus Regni civitatibus potestatem facias eorum habendi domicilia, demum ut hanc Societatem, tui parentis exemplo, fovere, tuerique pergas. „ His paulò diversa perscripsit Nobilitas. „ Rogamus, ajebat, ut propter labores & fructus, quos Societas Jesu quotidie capit in propaganda religione, rectèque instituenda juventute, Majestati Tuæ placeat instaurari a Patribus collegii Claromontani munera jamdiu intermissa, profitendi publicè humanas sacrasque litteras, plenamque cunctis Regni civitatibus esse potestatem collegia iisdem construendi. „ Hæc tametsi ad superiorem annum pertineant, quia omissa sunt, vel obiter indicata à Juvencio, visum hoc loco reponere.

102.  
Res gestæ Parisiis  
ad pietatem augendam.

Cæterum Parisiis, etiam nondum recepta facultate aperiendi scholas, cætera sui ordinis ministeria nostri per quam utiliter exercebant. Quædam etiam hoc anno

anno præter usitatum morem instituta fuerunt. Præter conciones Gallicas jam ante fieri solitas, dati Belgis Germanisque concionatores suâ utrisque linguâ, atque ita cautum à fraudibus, quibus Calviniana superstitionis præcones viris simplicibus insidias struebant. Sacerdos è domo Professorum cum instituisset tertia quaque die custodias publicas adire, pietatem nobilium Matronarum excitavit, ut vincētis benignè facerent, fueruntque non pauci per eas are alieno, & vinculis expediti. Exemplo alterius è nostris, qui sexta quaque feria cœperat nosocomium invisere, moti sunt aliorum ordinum religiosi, ut idem sibi faciendum statuerent. Quare & ipsi diem sibi præfiniverunt, quo die deinceps adirent nosocomium, & languentibus opem, aut solatium ferrent. Nec vero minus feliciter gesta res extra Lutetiam. Ambiani minister sectæ Calvinianæ doctissimus, ausus cum nostro Sacerdote certamen instituere de religione, exagitatus est usque adeo, ut proferri sibi diem rogaverit ad respondendum; at eo miser impetrato, abdidit sese, maluitque ad multos dies acceptæ cladis pudore delitescere, quam denuo in aciem prodire. Peracta est disputatio cum maxima celebritate, coram ipso Præside Provinciæ Principe Longavilleo, & Notariis, qui utrinque dicta cum fide exceperunt. E' Cadomensis collegio Lexoviam excursus est, urbem Episcopalem, atque ibi plures è grege Calvinii ad Ecclesiam reduti. In his virguncula utroque parente orbata, magno animo restitit aviæ locupleti & hæreticæ, ne sectam desereret dehortanti, eamque habere maluit inimicissimam, quam non aperte Catholicam se profiteri: & quamquam ob eam causam abdicata penitus, & domo ejecta, perrexit tamen assidua esse in Templis Catholicorum, & usu sacrorum pietatem colere, non aliud habens solatium solitudinis suæ, quam Deum, nec aliud quærens. Sed forte mirabilior in hoc genere virtus adolescentis, qui in collegio Calvinianorum Chavilliacensî educabatur. Is Rothomagum venerat majoris jejunii tempore, & casu nescio quo pedem intulerat in sacram ædem, quo tempore Sacerdos Societatis ad populum pro concione dicebat. Ea oratione adolescens adeo est perculsus, ut postea quam Chavilliacum duobus inde millibus passuum rediit, convictoribus exprobraret impietatem Calvinii, & Romanam fidem in cœlum ferret. Exceptus magno sodalium convicio, & à collegii moderatore acriter increpitus, pergebat uti prius Catholicorum partes liberè & palam tueri. Rescivit de inopina filii mutatione genitor, homo impotens, truculentus, & ferox. Nec mora: Chavilliacum advolat, vocatum ad se filium gravissimis objurgat verbis, degenerem scilicet, & malefânium, qui professionem amplecti malit sapientum omnium judicio damnatam. Post ubi perstantem nihilo minus in priore proposito videt; immani elatus iracundia, misellum humi affligit, fuste, calcibus, alioque plagarum genere penè usque ad necem concidit. Nihil ille ad hæc, nisi Catholicum esse se, ac porro fore: qua constantia de inhumano parente victor, mansit inter contumelias & probra contubernalium, donec occasionem nactus, clam profugit ad nostros Rothomagum, atque inde in sacrum Capuccinorum ordinem se recepit. Prius tamen quam è collegio se proriperet, res accidit, unde in fide Catholica plurimum est confirmatus. Transibat forte Chavilliaco viator Catholicus, quantum ex habitu conjici poterat, votivam peregrinationem gerens: ut que erat diei summus æstus, potum à Rectore collegii flagitavit per Christi nomen. Rector inhumanus, non modo se daturum per summam inclementiam negavit, verum etiam addidit repulsæ ludibria, pietatem hominis, & totam illam peregrinandi religionem deridens. Aderat cum hæc agebantur quem dixi adolescens, nec continere se potuit, quin Rectorem admoneret, ut siquidem pauperi nihil dabat, saltem ne malediceret. Ferocior admonitione Rector, monitori colaphum infregit, perrexitque acerbius quam cœperat in peregrinum, & peregrinationes, aliosque pios Catholicorum mores, omne genus maledictorum evomere. Sed cito miser dedit impietatis pœnas. Momento eodem corripitur ardentem siti, quam cum nullus gelidæ modus posset extinguere, intra duas horas fœdam animam exhalavit.

To. I.

F 2

Per

103.  
Ambiani minister Calvinianus in publica disputatione victus latebras quaerit.

104.  
Labores & fructus Patrum Cadomensium.

105.  
Adolescentis mira conversio, & in Catholica fide constantia.

106.  
Contemptor Catholica religionis memorabili exemplo plectitur.

107.  
RES PROVINCIÆ  
TOLOSANÆ.  
Sociorum ubi-  
que labores, pe-  
ricula, & fru-  
ctus.

108.  
Millavi reli-  
gio instauratur,  
furentibus fru-  
stra Calvini mi-  
nistris.

109.  
Res gesta Cla-  
ramontii, Rigoduni,  
Turnonii.

110.  
Fructus Exerci-  
tiorum spiritua-  
lium Anicii, &  
Biterris.

111.  
Juenis capi-  
te damnatus ad  
fidem Catholi-  
cam revocatur  
paulo ante sup-  
plicium.

Per hæc Patres Provinciæ Tolosana, etsi numero pauci, totam Occitaniam, nec segniter, nec parum utiliter excolebant. Anno uno Hæreticorum ad centum, eoque amplius, ad Ecclesiam reducti numerantur. Notatus præsertim unius ex nostris apostolicus labor Auriliaci, in urbe Arvernica nobili. Hanc ille urbem cum excoleret sacra missione, nullamque præmitteret earum artium, quibus excitari pietas, tum publicè, tum privatim potest, cives, qui nihil tale unquam vidissent, mirari satis non poterant, unum hominem in Templis, in nosocomiis, in custodiis publicis, in privatis ædibus, tam multa ad animarum salutem gerere, eundemque tot curis & laboribus minime obrui. Totum proinde ordinem ex unius sedulitate, & industria æstimantes, jam tum consilium iniere de condendo apud se Societatis collegio, quod re ipsa post annos quinque considerunt. Interim ex primariis unus, cum ex ictu apoplexiæ, implorata B. Ignatii ope, convaluisset, adeo non dubitavit se illius beneficio vivere, ut certum pecuniæ numerum erigendo in ejus honorem facello sepeliret. Ex Ruthenenſi collegio Millavum est missus Sacerdos, qui rem Catholicam ibi ferè afflictam, jacentemque excitaret. Fecit ille tam strenuè ac feliciter, ut ministri superstitionis dolore acceptæ cladis in rabiem acti, gregalium plurimos ad arma concitaverint. Irruerunt itaque seditiosi in sacram ædem, Coelitum icones, & vasa sacra foedarunt, male profectò habituri nostrum concionatorem, nisi celeri fuga dilapsus, ab insanientium furore se subtraxisset. Postquam seditio compressa est, eò se contulit Ruthenenſis collegii Rector P. Joannes Jacobus, ad colligendum præfacti seminis fructum. Vir autem ingenio mitior, nec adeo in dicendo vehemens, auditus est tam benevole, ut summi infimique ejus arbitrio se permiserint. Restituta in hunc modum religione, agebant Millavenses de collocanda apud se familia nostri ordinis, parabantque jam domum nobis, & sacram ædem extruere; sed metus impendentis belli curas eorum aliò transtulit. Par habendæ Societatis desiderium reliquerunt Claramontii duo Patres, ad eam excolendam civitatem profecti è collegio Billomenſi. Alter ex eodem collegio Rigodunum missus ad concionandum, concione una tantum valuit, ut urbem ab omni opere meretricio purgaverit. Inveſtus enim incredibili ardore in lupanaria, vidit eadem die Consulem, cum sui magistratus insignibus, circumire urbem ad ea penitus abolenda. Turnonii, præter alia non improspere gesta, nostrorum industriam mirificè commendavit vir inter Calvinianos, non atate minus, quam dignitate spectabilis, quippe officio Judex. Eorum enim hortatu transit ad Catholicos, & in æde ejus collegii palam hæresim ejuravit cum duobus filiis. Anicii coenobium est celeberrimæ antiquitatis. Monachi vitæ sanctioris desiderio incensi, præbuerunt se nostris ex disciplina B. P. Ignatii exercendos per dies octo: iis autem exactis, leges sibi præscripserunt cum primis utiles, curaveruntque a suo mox Præposito in perpetuum jubendas. In eadem urbe Virgines, quas Ursulinas vocant, vivebant quidem in communi, sed nullo religionis vinculo ad retinendum id vitæ genus adstringebantur. Ignatianis commentationibus certo dierum numero exercitæ, non solum consenserunt inter se, ut religionem deinceps sacramento voverent, sed meliora charismata æmulantes, formulam servandæ in posterum disciplinæ sumpserunt a Parthenone Burdigalenſi S. Mariæ, qui magna tunc fama sanctimonie florebat. Idem Biterris præstitit alia Ursularum sodalitas, post dies octo similiter in pio secessu sub nostro Sacerdote traductos. Tolosæ ad supplicium erat producendus juvenis majestatis damnatus, nec ullis cujusquam suasionibus flecebatur, ut saltem in extremo vitæ regredi ad Catholicum cultum sexennio ante relictum vellet. Immotus ad omnia, & stolidus ferocia imperterritus, Lutherum, ajebat, reprehendi non posse, qui Apostolicæ perfectionis formam jamdiu apud Christianos collapsam instaurasset. His auditis, juvenem adoritur P. Jacobus Deliotus, ac paucis Lutheri vitam perstringens, summa decurrit capita: Ut sacramentum religiosæ professionis violaverit: ut cum Virgite Deo dicata Sacerdos, sacrilegus cum sacrilega, infames nuptias contraxerit: ut novam ferere doctrinam cœperit

ira-

iracundia percitus, & Romani Pontificis odio inflammatus: ut in omnem licentiam effusus, dies sæpe totas, ac noctes, inter pocula atque epulas temulentus exigeret, atque his similia. Tum percunctatur ex eo, an tale quiddam audierit aliquando de Apostolis? an verò qui ita vixerit, eum ministrum satis idoneum putet, quo Deus ad renovandam Ecclesiæ suæ sanctitatem uti vellet? Hac oratione convictus, non ultra restitit juvenis. Peregit cum multis lachrymis homologesim, Catholicae professionis formulam in ipso loco supplicii, coram innumera multitudine, recitavit, plenus demum optimæ spei, atque alacer gladio cervices præbuit.

Verum hæc aliaque ejusdem generis, quam grata Catholicis, tam odiosa accidebant Hæreticorum ministris. Hinc illis bellum inexpiabile cum Societate, hinc perpetui conatus ad eam, si qua fieri posset, opprimendam, ut videre præfertim licuit hoc anno in Provincia Lugdunensi. Gratianopoli conciones habebat Sacerdos de Societate. Eum ministri sectæ seditionis accusaverunt non alio nomine, nisi quod eorum errores tam aperte revicerat, ut non haberent quid contra dicerent. Quam accusationem cum audisset Prator, tametsi Calvinianus, risit vecordiam hominum crimen inferentium Sacerdoti Catholico, quod in contentione doctrinæ superior fuisset. Episcopus Nemaufensis cum oratorem per majora jejunia adscivisset è nostris P. Franciscum Laborerium, Calvinianos, qui erant tum in ea urbe numero & opibus validi, irritavit in tantum, ut odio ipsius de Laborerio necando deliberaverint. Et omnino illum necaverant, nisi scelestum percussorem fessisset ictus ignitæ glandis, quæ in caput ejus directa, pileo, quo erat tectus, illisa est. Spe sua frustrati gregales, non proinde grafari contra innocentem desierunt. Sed aliam tentare viam placuit. Nomen Laborerii deferunt ad Prætorem, reum facientes violati Regii edicti, quo cautum erat, ne quis religionis causâ quemquam afficeret probro: quasi verò in Calvinianos contumeliosus esset is, qui eorum errores validis rationibus refellebat. Sed innocentiam improbitas non oppressit. Depulsa est multorum testimonio calunnia: Prator Laborerium, non solum omni crimine liberavit, verum etiam prohiberi non posse pronunciavit, quominus suo munere fungeretur. Jam verò ejus labor Nemausi, quæcunque impii molirentur, multum laudatus est à Catholicis. Quamdiu ibi subsistit, præter quotidianas conciones, singulis hebdomadis ad Sacerdotes quæstiones de moribus copiosè disseruit: discedens autem, non modò stipendium laboris nullum exegit, sed nec sponte oblatum accepit. Excurrit inde Belliquadrum ejusdem Dioeceseos oppidum, ac præter alia salubriter ibi gesta, consuetudinem sustulit antiquitate roboratam, sed à Christiana modestia plurimum abhorrentem. Solebant, redeunte quotannis natali die divini Præcursoris, prodire in campum feminæ, & tamquam orgia bacchantium celebrarent, motibus indecoris, non tam saltare, quam furere. Hunc ille morem una tantum concione extirpavit. Denique in Dioecesi Nemaufensi Laborerius ea gessit, ac tantam non modo sui, sed etiam Societatis opinionem reliquit, ut Canonici Ecclesiæ Pontificalis pensionem annuam constituerint, ad evocandos in posterum, alendosque operarios Societatis. Etiam in Dioecesi Bisuntina molestia aliquid creatum est nostro concionatori, sed non impune. Viri nomen est in obscuro, sed quocunque appellaretur nomine, eum Archiepiscopus Bisuntinus affirmabat videri sibi divinitus ad perorandum instructum. Hunc ego Antistes, nunquam ad obeundam Dioecesim exire solitus sine uno aliquo nostri ordinis Sacerdote, cum adduxisset hoc anno secum, in oppido nescio quo, dum verba facit ad populum, acrius declamantem adversus immodicas saltationes, quidam de concione petulanti succlamatione interfatus, conviciis profcidit. At cum eadem paulo post in eum maledicta regeret, repente corrui exanimis. Missi eodem anno sunt per montes Allobrogum è collegio Camberiensis Patres, ac præter extinctas ubique factiones, & licentiam vitæ compressam, Nantuates ab hæretica lue, & iniquitate foeneratorum liberaverunt. Sed præ cæteris memoranda conversio cujusdam senis, sanè rara, & ad memoriam insignis, in qua

112.  
RES PROVINCIAE  
LUGDUNENSIS.  
Ministri sectæ  
Calvinianæ So-  
cietatem infe-  
stantur.

113.  
P. Francisci La-  
borerii pericu-  
la, & labores in  
dioecesi Nemauf-  
ensi.

114.  
Vir improbus  
nostro concio-  
natori oblocu-  
tus, repente  
moritur.

115.  
Senex annorum  
amplius centum  
lice-

proxime ante mortem ab hæresi ad Ecclesiam retrahitur.

116. RES AQUITANIE. Dynastia cujusdam conversio memorabilis.

117. Charitas impensa languentibus Pictavii.

118. Morborum curationes supra naturæ usum factæ.

119. Insignis victoria de Calvinianis doctoribus relata Bagnessii.

licebit admirari Divinam circa salutem hominum providentiam. In oppido Dien- si, quod oppidum est ad Drumium nobile in Delphinatu, duo erant in statione collocati Patres, quorum alter urbem, alter circumpositum agrum per usitata ordinis ministeria excolebat. Excurrebat hic posterior, intimo quodam pulsu permotus, ad oppidulum nescio quod, ubi longævus senex, annos natus quindecim supra centum, jam prope animam agebat, eternum periturus, quia hæresi Calvinianæ pertinacissimè addictus. Rei admonitus Sacerdos, ad eum recta contendit, hortatur miserum, ut in eo saltem rerum articulo respiciat sese, multa pro loco & tempore subjicit ad hominem permovendum idonea, sed nullo effectu. Nihil ille ad hæc reponebat, nisi velle se mori in sinu sanctæ matris Ecclesiæ reformatæ. Cum idem iterasset sapius: *satis ne sanus es, subjecit Sacerdos, qui matrem appelles sectam longo tempore post te natam? Fatearis necesse est, unicam atque optimam tibi matrem esse Romanam Ecclesiam, cujus ministerio renatus sis per Baptismum.* Perculit ratio senem cætera non malum. Exclamat, enim vero ita esse, seque jam tum ad eam regredi, a qua perperam descivisset. Peregit illico sacram homologem cum largo fletu, & dulcedinis miro sensu; nec multo post lætus ex hac vita migravit.

Suas collegit hoc anno fruges etiam Provincia Aquitanie. Ex Aginnenfi collegio Turnonum missi duo Patres, præter alios, ad vitam Christiano dignam traduxere Dynastem provectæ ætatis, qui tamen Catholicum profiteretur, contemptu religionis famosus toto illo tractu erat. Res sacras, & Dei cultum homo perditus in postremis habebat. Si quando videri vellet parere legi de confessione piaculari, vocato ad se Parocho peccata narrabat inambulans, quasi fallendi temporis causa, nullo quidem sensu doloris, nullo poenitentis indicio. Neque verò Eucharisticum panem sumebat, ut alii, in Templo, sed escaria exceptum lance servabat apud se domi, cum collibitum esset, sumpturus. Respondebant insigni impietati reliqui mores, flagitiosi, impuri, vitiis omnibus inquinatissimi. Ab hoc hominis portento, aspirante nostrorum ceptis gratia, coelesti, impetratum est, non utcunque ut rediret ad frugem, sed ut admirationi & exemplo esset in posterum, quibus antea offensionis fuerat. Quod boni quique reputantes, nullum faciebant finem laudandi Patrum solertiam, cui tam insperata conversio tribuebatur. Eodem anno Pictavii, cum hominum corpora, seu gravitate coeli, seu quavis alia causa, multiplice valetudine moverentur, Patribus ejus collegii ampla est oblata materies extendæ charitatis. Ut quisque periclitabatur, nobiles, plebeiique, nostros Sacerdotes ad se vocabant, ut opem opportunam & solatium haberent in extremo discrimine. Omnino sine illis mori nemo sustinebat. Iisdem multi, præter salutis æternæ præsidia, valetudinem corporis acceptam retulere, eamque remedio plusquam humano partam credere. Est in Pictaviensi collegio frustulum parvæ crucis, revulsæ, ut perhibent, è summitate baculi viatorii, cum quo olim Thomas Apostolus terrarum immensa spatia peragravit. Id aquæ, cui immergeretur, pie credebatur vim medicam indere. Experimento factò, opinionem non magis piam esse, quam veram probavit curationum frequentia, quæ supra millenas trimestri spatio numeratæ fuerunt. E' collegio Burdigalensi, per ferias sanctioris hæbdomadæ, prodierunt ad diversa circum loca socii ferè quinquaginta, ut ad celebranda rite Paschatis solemnia populos excitarent, fuitque in eo numero Professor philosophiæ, cujus nomen litteræ tacent. Is Bagnessium cum venisset, oppidum Santonenfis Dioceseos, ubi permixti Catholicis inveniebantur Calviniani plurimi, ad frequentem populum verba faciens, ostendebat, per magistros Calvinianæ sectæ multis partibus vitiatas fuisse sacras litteras. Dicenti succlamavit e media concione gregalium nescio quis, negans id ita esse: simul conclamationem ad singulare certamen de religione provocavit. Accepit ille provocationem, paratus jam tum cum petulanti adversario congregari, non tam ingenii fiducia, quam causa. At non esse in re tali festinandum, respondit provocator modestior factus. Condecitur certus ad disceptandum dies, scribuntur leges,

at-

atque illa in primis, ut assistant arbitri, & utriusque partis notarii, qui dicta disputantium referant in commentaria. Interim Calviniani, parum fidentes ejus loci ministro, tres ex Santonibus evocant exquisitoris scientiæ Doctores, ac nominatim primipilum quemdam suum, Weilchium nomine, gente Scotum. Advenere illi citatis, ut moniti fuerant, equis, & certa victoriæ spe. Biduum disputatio tenuit. Is fuit exitus, qualem esse oportuit, ubi pro veritate adversus errorem ab homine non indocto divina oracula, velut arma lucis, tractabantur. Hæretici nihilominus, natio hominum quam vinci facilis, tam difficilis ad deditionem cogi, & ubi cætera desint, voce ac impudentia semper superior, gloriabantur palam, à se stetisse victoriam, idque circummissis libellis latè vulgarent, addentes, quò fidem mendacio adstruerent, disputatorem Jesuitam, ob ignominiam acceptæ cladis, Burdigalam profugisse. Nondum ille, cum hæc jactabantur, Burdigalam re ipsa redierat, sed cum esset Professor, ut diximus, Philosophiæ, instaretque feriarum exitus, ad suam scholam reverfurus erat propediem. Tamen justam subesse causam putans extrahendæ profectiois, suæ Bagnesii substitit adhuc ad plures dies, qua mora testatum quam maxime fecit unum adversariorum mendacium de sua, ut illi vulgaverant, fuga. Ut alterum de victoria similiter innotesceret, in festum proximum concionem indixit, cumque eo die hominum multa millia convenissent, recitari publice jussit acta præteritæ disputationis, ex quibus luce clarius constabat, Magistros erroris contra Catholici defensoris rationes nihil habuisse, quod dicerent. Auditus ad hæc fremitus quidam, & secundissima admurmuratio Catholicorum victoriam sibi gratulantium; iidemque mox uno pariter acti spiritu, nemine vel auctore, vel præcentore, Ambrosianum decantarunt pro gratiarum actione carmen, quo exacto, percurrerunt oppidum triumphantium in morem, ac totum illum diem laureati incesserunt. Lætitia cumulum addidit insperata transitio ad Catholicos Domini de Fontenellis, viri in tota secta gravissimi, qui vigesies orator suæ Provinciæ fuerat in gregalium Congressibus (Synodos vocabant ipsi), eratque omnium factionis arcanorum conscius.

Urebantur his Hæretici gravius, quam ut moerorem taciti ferrent; nostros autem eo insectabantur atrocius, quo acerbiore infligi sibi plagas videbant. Et quamquam in plerisque locis, ob æquitatem & vigilantiam Præsidentum, latrarent illi magis, quam moderent, alicubi tamen interdum, sive aperta vi, sive fraudibus prævalebant. Nusquam Hæresis in tota Gallia altiores radices egerat, quam in Bearnia. Huc ex collegio Burdigalensi cum venisset anno superiore, P. Joannes Bordes, & Sacerdos alius, cujus nomen intercidit, intenti ambo reparandis Religionis ruinis, obibant noctu domos, timidos, aut fluctuantes Catholicos confirmabant, divinis Mysteriis cultum vel restituendum, vel augendum curabant. Suboluit, nescio quibus indicis, apud Hæreticos de mansione occulta, & conatibus Patrum. Nec mora: ad eos exturbandos coorti, utrumque confictis criminibus deferunt ad Præsidentem. Erat is bonæ quidem mentis vir, sed animi infirmioris. Vocatos itaque in judicium Patres, auditosque, licet omni eos noxa liberaret, tamen accusatoribus plus æquo indulgens, abire confestim jussit, & militibus tradidit extra Bearniam deportandos. Sic illi post annum ejecti sunt per injuriam, cum maximè sibi videbantur copiosam animarum messem in Christi aream illaturi. Multa sanè confecerant jam ex usu rei Catholica, quæ meliora portendebant in posterum. Illud impetraverant prius, ne Catholici cum Hæreticis matrimonia jungerent. Deinde, ne Hæreticos adhiberent ad infantulos de fonte Baptismatis suscipiendos. Postremò, ad conciliandam sacræ Eucharistiæ reverentiam, instituerant, ut per dies octo, qui Christi Corporis diem festum consequuntur, piæ supplicationes peragerentur, celebritate ac pompa quam posset maxima. Quæ de re quoniam incidit sermo, non est hoc loco præmittendum quod Olerone per idem tempus accidisse traditur. Res enim est ad temporum memoriam insignis. Sacram Hostiam Catholicis, non magnificè minus quam religiosè, circumferentes per urbem, ibant forte præ-

120.  
Duo nostrorum  
per vim extru-  
duntur Bearnia.

121.  
Calviniani miro  
ostento conster-  
nantur Olerone.

præter fanum Calvinistarum, dum maximè aderant in eo gregales frequentissimi, & Ministrum pro concione dicentem audiebant. Catholici, sacrum concinentes carmen vocem intendebant: Hæretici contra silentium concionatori præbebant suo. Inter hæc visum repente e summo fani tecto descendere ad ima spectrum horribile, ac visu formidolosum, cujus aspectu conterriti Calviniani refugerunt statim, soluto conventu, atque huc illuc trepidi pallidique dilapsi sunt. Quid illud fuerit, incertum. Rem ita contigisse, ipsa trepidatione ac fuga prius, deinde etiam voce confirmaverunt testes oculati plures, quorum nonnulli inde moti sunt, ut spretis Ministrorum conatibus, ad Christi gregem transfugerent. Sed de rebus Gallicis satis multa.

122.  
RES PROVINCIÆ  
CASTELLANÆ.  
Indicantur acta  
Sociorum in di-  
versis locis.

123.  
Obtreçatoris  
sui patrocini-  
um nostri sus-  
cipiunt, & poe-  
na liberant.

124.  
RES PROVINCIÆ  
ARAGONIENSIS.  
Novum inchoat-  
ur Minorissæ  
Collegium.

Ad Hispanienfes Provincias progredienti, prima omnium objicitur quam Castellanam dicimus. Plures ibi intra hunc annum expeditiones fuerunt nostro more susceptæ. Ex Ovetensi collegio ad Asturiæ montes, ex Santanderensi ad montes Cantabriæ excursum: utrobique homines, aut inscitia rudes, aut rerum cœlestium incuriosi, ad pietatem excitati. Duabus maximè rebus montani illi populi moveri se aiebant, ut nostris hominibus dociles se præberent. Primò, quod corpora nihilo curarent commodius quam ipsi, iisdemque prorsus victarent cibus, frumento nimirum indico, & lacte. Deinde, quod tanti laboris nullam mercedem acciperent. Adeo præcipua vis Apostolici ministerii in moribus Ministrorum est posita. Legionæ, & Numantiæ, periculosis gliscentibus morbis, magno usui fuit generosa nostrorum charitas, diu noctuque ad ægrotos accurrentium. Decem non amplius censebantur Sacerdotes in collegio Numantino. Octo interdum extra domum pernoctaverunt eodem tempore, vel obeuntes ægrotorum domicilia, vel agris assidentes. Compostellæ cum ingens inveniretur ege- norum mendicatio victitantium numerus, placuit otiosam turbam in forma fodalitii colligere intra collegium Societatis: quæ deinde res usu ipso plurimum est comprobata. Hoc tamen in opere primas tulit beneficentia Antistitis, qui præter quotidiana subsidia, certum prælinivit unoquoque mense diem, quo sodales duplex acciperent demensum, si illo die sacra percepissent. His charitatis operibus addo modestiæ, & mansuetudinis exemplum insignè, ut si quando res ita ferat, cæteris de Societate documento sit. Rector collegii Salmanticensis Senticam venerat (urbs est in Regno Legionensi nobilis, quam nunc vulgo Zamoram appellant), duosque secum adduxerat Patres, ut opus Evangelicum in ea civitate faceret, more Societatis. Jam ipse sociique audiri cœperant non minori Civium voluntate, quam fructu: cum nescio quis alterius ordinis Concionator, sive prava æmulatione, sive odio incitatus, acriter in eos invehi ex ipso suggestu cœpit, tanquam in certissimos veteratores, & novorum auctores dogmatum ubique damnatos; simul admonens cives, ut si sani essent, cave- rent sibi ab illis quammaximè, eorumque fraudulentis sermonibus aures occlude- rent. Nihil tam impudenti oratione nostris, sibi multum detraxit, ut ferme usufenit in aperta ac liberiori maledicentia, conviciator. Fuit in ipsa concio- ne, qui talia dicenti palam ac libere succlamavit. Nostris super ea re nec vo- cem mittebant. At non quievit Proepiscopus, penes quem, absente tunc Præ- fule, potestas sacrorum erat. Castigandam hominis temeritatem ratus, non solum durioribus illum verbis increpuit, verum etiam edicto publico vetuit, ne deinceps in ulla diæceseos aede ad faciendâ sacra reciperetur. Nemo omnium fuit, qui non id jure factum diceret. Soli ad deprecandam illi poenam aggressi sunt nostri, institeruntque apud Proepiscopum tot non modo suasionibus, sed etiam precibus, donec homini male de se merito admissi veniam impetraverunt.

Per hæc in Provincia Aragoniensi novum Societati domicilium accrevit. Marchionissa Aytonis celebrem possidebat Minorissæ speluncam, in qua Beatus P. Ignatius tirocinium vitæ sanctioris posuit, primamque, ut creditur, So- cietatis instituendæ formam concepit. Antrum talis viri hospitio, & lachrymis consecratum jamdiu in honore habebant oppidani, accolæ ut sacrum frequen- tabant. Jam ergo pia, quam dixi, Matrona, recte existimans, Patris monumen- tum

tum adeo illustre apud neminem fore melius, quam apud filios, illud nostræ Societati donavit. Nihil nostris poterat optatius accidere. Hinc tametsi nullum haberent condendo collegio certum vectigal, tamen occupandum continuò locum statione paucorum capitum censuerunt, in spem collegii alicunde excitandi. Quis enim dubitaret, extiturum aliquando in Hispania tot inter Ignatii clientes, qui pecuniam in hunc usum conferret, & inchoatam domum censu firmaret? Constituta ergo est Minorensis domus Societatis, nec diu dilata spes. Quarto post anno Lupercius de Arbiscù, vir haud minus animi bonis, quam fortunæ opibus locuples, stationem Minorensiam ad justum collegii formam erexit. Quod ad acta sociorum pertinet, nihil minus in hac Provincia quam usquam alibi est laboratum hoc anno, nec minore successu. Ex collegiis Gandiensi, Tarraconensi, Gerundeni, Bilbilitano, Turiasonensi, aliisque, ad proximas regiones procurrerunt expediti operarii, magnam ubique cladem vitis intulerunt, magnas animarum prædas convectaverunt. Qui ad Pyrenæos & collegio Urgelitano profecti sunt, iis laborem auxit mira incititia, qua incolarum plerique tenebantur. Iniquis pactationibus commercia exercebant, & ne in foro poenitentia damnarentur, eos sibi fumebant conscientia arbitros, quos norant esse divini juris imperitissimos. Quocirca Patres, complexi brevi commentario diversi generis pacta, rectique ac pravi inter hæc discrimine indicato, ejus plura exempla describi, & latè spargi curarunt. Ilerdæ aboletur mos aequè inveteratus, ac barbarus, quo adolescentes per dies festos, in agmina distributi, mutua inter se lapidatione certabant. Perpiniani, nostrorum hortatu, Consules maritimæ negotiationis ad augendum divinæ Eucharistia cultum transferunt pecuniæ nescio quam summam, qua soliti antea fuerant per bacchanalia conducere symphoniacos, & saltationes publicas adornare. Tarracone, præter usitata ordinis ministeria, suscipitur à nostris Piscatorum cura præcipua, quorum ingens numerus otiabatur in ora maris, eaque procuratio traditur uni ex Patribus, qui post emensa studiorum spatia tertio probationis anno exercentur. Instituta pridem fuerant in diversis Provincia locis sodalitia nobilium, qui curarent carceres, & vindictis liberaliter subvenirent. Eorum charitate, & industria effectum anno labente, ut nexorum supra centum eximerentur vinculis Casaraugustæ, Valentia duplo plures, major, aut minor numerus alibi. Barchinone insignis idem annus fuit excidio latronum, quos tota Gotholaunia manipulatim grassantes Prorex armis est infecutus, & ex maxima parte captos ultimo supplicio multavit. Rapiebantur miseri ad patibulum, modico dierum intervallo, deni pariter, aut vicieni, donec ex infelici arbore sunt dejecti omnes ad unum. His, dum ad locum supplicii producebantur, non alii adfuerunt consolatores, præter Sacerdotes Societatis, quorum ut suppeteret pro numero damnatorum copia, ex proximioribus quoque collegiis aliqui in partem pii laboris arcessiti fuerunt.

Claudat Aragonienses hujus anni res exemplum memorabile divinæ erga hominem flagitiosissimum misericordia. Egressi domo professorum Valentina duo Patres, circumpositam obibant regionem, & sparsos latè populos ad detestationem criminum excitabant. In oppido nescio quo inventus vir in omnem vitam licentiam effusus usque adeo, ut nullo neque hominum, neque numinis metu ab inveteratis libidinibus retraheretur. Mulierculam, cum qua flagitiosè pernoctabat, oppresserat mors repentina, nec ideo respexerat ille sese, aut finem peccandi fecerat. Tamen cum advenissent duo quos dixi Missionarii, videretque ad eos undique concursus fieri, nec esse in toto oppido, qui non iisdem se pro confessione audiendum sisteret; timuit ne male apud populares audiret, si unus ex omnibus non faceret. Hoc infamiae metu victus, componit vultum ad poenitentiam, turbæ se immiscet, & apud unum ex Patribus confessionem simulatè peragit, pauca nescio quæ levioris momenti narrans, cætera silentio tegens. Regressus domum, gratulabatur sibi factam pulchrè fraudem Missionario prius, tum etiam populo. Ecce autem nocte proxima decumbenti offert se repente viri species ignota, & aspectu horribilis. Exprobrat sacrilegii impietatem, & nisi ocyùs

To. I.

G

vitæ

125.  
Acta Sociorum  
in variis Pro-  
vincia partibus.

126.  
Exemplum me-  
morabile divi-  
nae misericor-  
diae in conver-  
sione hominis  
flagitiosissimi.

vita labes absterferit confessione sincera, æterni supplicii minas intentat. Ostento miser perterrefactus, lecto exiit statim, eademque hora advolat ad hospitium Patrum, homologesim rite facturus. Erat nox intempesta, nec parvi temporis negotium videbatur confessionem ejus hominis à prima usque ætate repetendam audire. Quare illum Patres, bono animo esse jussim, ab se tunc quidem dimiserunt, conducta hora, ad quam rediret die postero. Iterum ergo se eubitum recipit. At secum reputans, cujus probri futurum erat tot Sacerdoti scelera, tam foeda, tam occulta retegere, quod auditus non fuerit, præclare sibi cecidisse existimat, & malo pudore victus, obfirmat nunquam amplius confiteri. Hæc tacitus volutabat, cum lacunar cubiculi, soluta repente tignorum compage, corruit, ea tantum excepta parte, quæ lecto imminerebat, nihilque factum est propius, quam ut ruina opprimeretur. Sensit enimvero tunc Dei miserentis nutum, cujus beneficio viveret, & vivere æternum posset, nisi mallet interitu voluntario perire. Recurrit anhelus ad Sacerdotem, & siquidem molestus accidat, veniam rogat: se tamen eodem momento temporis audiri velle. Auditus per otium, expiatusque est, nec ante dimissus, quam sibi videretur omnia conscientia onera penitus abjecisse. Sic ibi de nefarii hominis contumacia triumphavit gratia cœlestis.

127.  
RES PROVINCIÆ  
TOLETANÆ.  
Ad impetran-  
dam pluviam,  
nostri cœlestem  
opem implo-  
rant, nec fru-  
stra.

128.  
Compluti cubi-  
culum olim à  
S. Ignatio habi-  
tatum vertitur  
in sacellum.

129.  
Obitus & elo-  
gium P. Jacobi  
de la Fuente.

Alibi contra bonorum pietas cœlestes iras, æque memorabili exemplo, mitigavit, quod videre præsertim licuit Matrini in Provincia Toletana. Fuerat maximam anni partem ingens aquarum penuria, quæ si maneret diutius, toti regno Toletano sterilitatem agrorum, & annonæ caritatem inferebat. Aliis alia quærentibus ad pacem superum exorandam piacula, nostri ex adolescentibus collegii scholas frequentantibus supplicationem publicam instituerunt ad eadem urbis primariam, & signum Deiparæ sine labe conceptæ, incredibili apparatu ac pompa, circumtulerunt. Tum novendiale sacrum exorssi in honorem B. P. Ignatii, viderunt secunda die decidentem largè pluviam tandiu votis irritis expetitam, quæ diebus ultimis adhuc liberalius effusa, arentia ac siticulosa arva recreavit in tantum, ut metum sterilitatis magna frugum ubertas exceperit. Movit ea res Matritensium multos, ut in clientelam Ignatii se conferrent. B. Parentem colebant eximie Complutenses, sed tamen hoc anno suam erga illum, venerationem novo ac publico documento testati sunt. Erat Compluti vetus Xenodochium, ubi solebant hospitium sumere pauperiores juvenes, in illud omnium disciplinarum Emporium studiorum causa confluentes. Ostendebatur in eo cubiculum perangustum, quod olim Ignatius per biennium habitasse ferebatur; nec tamen ad id usque temporis locus in honore erat, præterquam apud nostros. Incuriam non tulit diutius pia liberalitas civium. Cubiculum in sacellum mutavit, curavitque suo quondam hospiti dedicandum. Acta res cum augustioribus caremoniis, & celebritate insigni. Vicarius Archiepiscopi Toletani, inter exquisitos symphoniacorum concentus, sacris est operatus; de Ignatii verò laudibus ad frequentissimam omnium ordinum concionem dixit noster Hieronymus Florentia, orator sui temporis disertissimus. Dum hæc ibi gerebantur, Matrini xii. Cal. Maji vivere desit vir inter Ignatii filios summè laudatus, P. Jacobus de la Fuente, patria Toletanus, de quo aliqua cursim breviterque sunt attingenda. Ejus opera duo novi generis sodalitia coaluerant Murcia, cæcorum unum, alterum Æthiopum, in quibus excolendis hominibus vix credibile, quam multus esset, quot, & quantas molestias susciperet. Sæpius intra annum pauperes, & proletarios omnes ad se cogebat in Templum, nec eos dimittebat, nisi sacris refectos, & stipe quam paraverat large donatos. Vincitorum ærumnis prope ut communis omnium Pater afficiebatur. Itaque in ejus obitu visi carceres moerore ac luctu oppleti haud secus, quam si gravissimum ipsis infortunium accidisset. Damnatis ad supplicium assistebat cura & arte præcipua, nec, ut quispiam capitalem sententiam accepisset, ab eo amplius divellebatur, suasiones, preces, lachrymas adhibens, interdum etiam flagris acriter se concidens, ut moriturum ad detestationem criminum permoveret. Aderat lecta-

ma-

manus Sacerdotum, ex quibus secretum conflaverat sodalitium, iisque in hunc usum adjutoribus utebatur. In sacras expeditiones aliquando profectus, etsi nec sono vocis, nec habitu corporis ad eloquentiam factus, miros ubique excitavit animorum motus: quod enim donis naturæ deerat, supplebant animi dotes, & ornamenta, charitas præsertim, & precandi studium assiduam, in quibus rebus supra communem modum excelluit.

In Provincia Bætica vehementius incalcescunt hoc anno vetera nostrorum studia pro immunitate B. Virginis à communi labe, quam Divinæ Matris prærogativam ubique ac semper Societas acerrimè propugnavit, sed in Hispania præsertim. Erat in Hispalensi professorum domo sodalitas Sacerdotum sub tutela Virginis ab origine immaculatæ, certabantque miro consensu sodales, ut decus Patronæ suæ tam eximium quibuscunque possent artibus tuerentur. His porro cum subjicerent subinde stimulos nostri, unus quidam fervidior (fuit is Matthæus Vasquez de Leca Hispalensis Canonicus, & Archidiaconus Carmonensis) ad aulam cum multis Episcoporum litteris proficiscitur, Regique persuadet, ut patrocinium piæ causæ apud Romanum Pontificem suscipiat. Tum celeriter Romam ipse venit Regis instructus mandatis, causam eandem per sese, tanquam omnium gravissimam, prosecuturus. Dum expectantur Romana responsa, exardescunt eodem studio Astigitani, nostrisque suadentibus jurant in communi, se, quoad per supremam Ecclesiæ potestatem licuerit, immaculatam Virginis conceptum defensuros, si ita res postulaverit, usque ad effusionem sanguinis. Qua in re primi, quod equidem sciam, dedere jurisjurandi exemplum, quod mox aliæ passim civitates sibi imitandum proposuerunt. Pietatem Astigitanorum probare visa de cælo ipsa Virgo, obrectatores suos coercens iræ manifestis exemplis, quorum unum, & alterum subicere abs re non erit. Novendiale celebrabant pii cives in honorem Conceptionis immaculatæ, cum insigni religione, ac pompa, cujus non exigua pars erant quotidiana ejus argumenti conciones, pleaque nostrorum. Excipiente has orationes secundissimis animis, auribusque populo, fuit ex ordine nobilitatis, qui oratorem copiosè, ut siquis alius, ornatèque locutum, aspernari, & contra ipsam causam liberius obloqui ausus est. Sed non abiit impune. Eadem die extinctum lachrymabili casu vidit filium parvulum, jam Melitensi militia adscriptum. Dum enim curru vehitur puer, excussus in terram, rota miserandum in modum discerpitur. Neque vero cœlestes iras una placavit victima. Hora vix interlapsa, tristis affertur parenti nuncius, filiorum alterum natu grandiozem, professione Monachum, in trajectu fluminis, jumento prolapsò, demersum esse. Minores fratres sequitur paucos post dies natu maximus, & vix huic mœstissimus pater justa persolverat, cum certior fit per litteras, fratrem suum in Indiis naufragio periisse. Ipse demum tertio post mense, seu mœrore, seu quavis alia causa contabescens, tot unius familie funeribus quintus accedit: nemine non intelligente, pœnam hanc esse misero divinitus inflictam, ob jactata insolenter verba contra Divinæ Matris pulcherrimum privilegium. Eo autem visa justior animadvertio, quod dicebatur habuisse domi illustre documentum, unde posset ab ea arrogantia deterri. Domesticis enim de Conceptu Virginis inter se disceptantibus, ajebant auditam esse neptem ejus bimulam, & adhuc loqui nesciam, cum hæc semel atque iterum verba pronunciaret *sine macula originali*: quo miraculo, addebant, cæteros admiratione correptos in sententiam Virgini honorificam consensisse, ipsum, verò unum obstinasse nunquam discedere ab opposita. Has ille pœnas dedit loquacitatis suæ. Alter ex proceribus ejusdem civitatis, per urbem obequitans, viderat pro foribus cujusdam domus tabellam his inscriptam verbis: *Virgini sine labe conceptæ*. Flecit equum continuo, eamque, ut vanæ religionis tesseram, diripere per summum nefas conatur. At in ipso molimine, laxata ex improviso rota brevioris tormenti, quod è balteo suspensum gerebat, parum, ac prope nihil absuit, quin explosa glande trajiceretur. Periculo tam præsentis exitii ereptus, prudentior non est factus. Haud multo post, dum triumphantis more

To. I.

G 2

cir-

130.  
RES PROVINCIAE  
BÆTICÆ.  
Studia sociorum  
pro immacu-  
lata B. Virginis  
Conceptione.

131.  
Obrectator  
publica pietatis  
terrifico exem-  
plo plectitur.

132.  
Conceptio Vir-  
ginis immacu-  
lata mirabili te-  
stimonio com-  
probatur.

133.  
Aliud exem-  
plum ejusdem  
generis.

circumfertur per urbem Virginis immaculatæ signum, homo furiosus illa religionis specie nihil deterritus, totum pompæ ordinem disjicit, atque perturbat, quadrigis in affectantium cuneos violenter immisissis. At scelestum poena infecta est pede non claudo. Primo enim, dum fertur admisissis equis, curru prolapsus crus offendit graviter. Mox verò contumacem inuasit occulta pestis, & paucis diebus extinxit. Paulo ante quam moreretur, sensit miser cui, cujusque noxæ poenas daret, obsecravitque multis cum lachrymis divinam Matrem, ut morbum à se depelleret, futurum se promittens, si viveret, immaculati conceptus fautorem defensoreque studiosissimum. Sed irritæ fuerunt preces; nisi fortè, quod juvat sperare, negatum est quod rogabat, ut daretur quod magis expediebat.

134.  
Acta Sociorum  
in aliis Provin-  
ciæ Bætici par-  
tibus.

Jam ut paucis expediam quæ in reliqua Provincia Bætica gesta sunt, degabant Giennæ à paucis annis nostri Sacerdotes duo, stipe ostiatim petita victitantes. Quid rerum in illa urbe gererent egregii operarii, non aliis referam verbis, quam quibus Mutio Generali perscripsit Antistes ipse Giennensis Franciscus Martinus, à quo fuerant ibi collocati. „ Statio, inquit, Societatis, „ quam hic habemus, est admodum recens, sed ad commune civitatis bonum „ maximè necessaria. Cum enim duo tantum sint in ea Sacerdotes, concionibus, „ & ministeriis sacrorum, cæterisque, quæ Societatis propria sunt, quam pluri- „ mis hæcenus salutis fuerunt, & pluribus in dies esse pergunt. „ Montilii noster concionator, cum vidisset inopi cultu sacrum viaticum ad ægrotos deferri, ea- que de re publicè questus esset, movit civitatem, ut vectigal perpetuum constitueret pro stipendio quinque Presbyterorum, quorum unus in posterum præ- lato vexillo agmen affectantium duceret, cæteri conopeum supra Parochum, & divina mysteria sustinerent. In collegio Granatensi, licet tria essent jam sodalitia constituta, conditum est hoc anno quartum sub tutela Virginis ab Angelo salutata, eique adlecti viri civitatis honestissimi, quibus cordi esset, vel inter domesticas curas, ad perfectioris vitæ formam componi. Cordubensibus spectaculo fuerunt gymnasi nostri adolescentes, cum in magna aquarum penuria per urbem discurrerent onusti amphoris, quas aqua plenas ad publicas vinctorum custodias deferebant. Demum ex plerisque Provinciæ domiciliis itum est in sacras expeditiones, de quibus nihil amplius dicam, nisi feracissimas fuisse ejus frugis, quæ ex hujusmodi peregrinationibus obvenire solet. Nullibi tamen latior collecta seges, quam in portu S. Mariæ. Capta fuerat à regia classe biremum Prædonum sex & triginta, per illa maria piraticam exercentium. Erant heterodoxi omnes. Quare cum essent supplicio afficiendi, placuit experiri prius, num fieri vellent Catholici. Vocantur è collegio nostro Gaditano Patres aliquot ad rem tentandam. Instant precibus & suasionibus Patres, at perditum nullo successu. Repellebant illi cum magno contemptu preces, suasionibus nec aures dabant. Suus miseris illudebat error in tantum, ut pertinaciam haberent loco constantiæ, putarentque se, nisi à superstitione deficerent, Martyres fore. Patres, consumptis omnibus, quæ ad frangendam hominum perveraciam occurrerant, ut in re prope desperata, ad B. Virginem se convertunt. Agebatur festum Virginis in cælum assumptæ. Simul igitur in genua provoluti, rogant eam, atque obtestantur, ne quo ipsa die in cælum subvecta fuisset, miseros istos detrudi sinat in tartarum. Exoratum est citius, quam sperarent. Vix precibus finem fecerant, cum Hæretici paulo ante inflexibiles, enimvero se, inquit, in eorum potestate esse, nec abnuere quominus Catholicis aggredientur: supplicium etiam in antea acta vitæ piaculum libenter toleraturos. Sic omnibus Ecclesiæ conciliatis, expiatisque, tres & viginti supplendo classis remigio reservati sunt, tredecim tantum ex nocentioribus in patibulum acti, quorum mox cadavera oppidani funere quam apparatissimo extulerunt. Inter hæc vivere desiit Hispali in domo professorum P. Alphonsus Rodericus, auctor ubique celebratissimus aurei illius operis, quod inscribitur *de Exercitatione Perfectionis*. Qualis iste sit liber, nihil attinet hoc loco dicere: redditus quippe om-

135.  
Conversio ali-  
quot Hæretico-  
rum precibus  
impetrata.

136.  
Mors & elo-  
gium Patris Al-  
phonfi Rodri-  
guez.

omnium prope gentium linguis, piorum omnium manibus teritur, nec alius ferme est religiosam perfectionem profitentibus familiarior. De auctore scitè olim est dictum, quales ejus fuerint mores, satis ex ipso libro cognosci. Et fuerunt sanè digni tali ac tanto perfectionis magistro, religiosi, simplices, ab omni fastu atque arrogantia alienissimi. Magna illi cum Deo conjunctio, meditandi usus assiduus, in comprimendis animi motibus summa contentio. Ob singularem qua pollebat prudentiam tironibus instituendis adhibitus, munus gravissimum aliquandiu in Provincia Toletana, postmodum in Batia per triginta ipsos annos gessit, pari semper tenore virtutis, pari charitatis, & diligentiae laude. Coniunxit Rodericius cum sanctimonia vitæ doctrinam non vulgarem, docuitque Moneregii morum Theologiam annis duodecim, tam secunda fama, ut ejus scripta passim doctiores exquirerent, ejus responsa Parochi ac Sacerdotes audirent tanquam oracula. Romæ Congregationi generali quintæ interfuit. Laboribus demum ac senio detritus, sanctè, uti vixerat, placidèque decessit VII. Cal. Martias. Natus erat Vallisoleti ante annos ferè nonaginta, quorum septuaginta exegit in Societate.

Hispaniensibus adnumeratur Provincia Sardinia, sociorum numero illa quidem inter provincias Europæ minima, sed laborum magnitudine, ac fructu, vix ulli secunda. Jampridem Patribus collegii Sassaritani grave onus imposuerat civium existimatio. Nam quia vulgo persuasum erat, eos demum vitam feliciter claudere, quibus ad bene decedendum auxilio esset Sacerdos Societatis, ut quisque agrotaverat, evocabat continuò unum aliquem Patrum, quibus propterea vix per noctem licebat quietis, & à labore vacuis esse. Calari intra hunc annum duo, nostris auctoribus, conflata sunt sodalitia, alterum sub invocatione Christi in cruce patientis, alterum sub patrocinio S. Restitutæ. Hujus posterioris instituendi occasionem sumpsit P. Franciscus Penna à sacris ossibus sanctæ Martyris, quæ diu ignota & occulta, nunc primum è suis latebris educta sunt. E collegio Calaritano missi in tractum Oleastrensem Sacerdotes duo, trimestri spatio oppida duo & viginti peragraverunt, labore quidem immodico, sed pari fructu. Incolis rara tunc erant ob situm regionis commercia cum aliis regni civitatibus, eoque rudiores incultiorefque plerisque Sardinia populis habebantur. Rarus apud eos usus sacrorum, crebra dissidia, factionesque. Adeo viluebat jurisjurandi sanctitas, ut in judiciis passim pejerarent, quantulacunque mercede. Multi mala mentis cogitata, & quamvis pessimam peccandi voluntatem, nisi illam re ipsa exequerentur, sibi religioni non ducebant. Erant etiam qui confessionem piacularum criminum suppleri putabant stipe pauperibus data, aut sacrificiis. Hæc mala, & malorum semina perniciosissima Patres ubique sustulerunt, longe aliis relictis moribus & institutis, quam quibus miserrimi mortaliū infueverant. Accessit alià utilitas non tacenda. Parochi, sive incuria, sive inopia, Eucharistiæ mysterium in suis Templis non asserabant, ex quo sæpe conferebatur, decedere homines salutaris viatici expertes. Huic etiam incommodo, cui sæpe Antistites remedium frustra quaesierant, nostrorum industria occursum est.

De rebus Lusitania nihil est in litteris hujus temporis magnopere memorandum, præter duo funera, quæ subjicio. Conimbricæ elatus est P. Joannes Correa, vir humanis sacrisque litteris in paucis excellens, sed religiosis virtutibus multo illustrior. Societati ab ipsa adolescentia adscriptus, patriam suam Villam regalem nunquam amplius revivere voluit, abstulitque, dum vixit, omni cognatorum consuetudine usque adeo, ut eorum nec litteras interdum resignaret. Semel, cum ad Brigantinum collegium contenderet, impeditis aliis itineribus, transire coactus est Villa regali. Præterit antelucanis horis, nullo consanguineorum salutato, ac ne viso quidem. Rexit plura collegia, bis Provinciam universam. Porro in Magistratu, invictam animi firmitatem cum religiosa prudentia conjungens, rationem domesticæ disciplinæ exigebat viriliter usque ad extremos apices, quamvis ob eam causam timeri posset interdum nonnulla pot-

137.  
RES SARDINIÆ.  
In collegiis  
Sassaritano, &  
Calaritano Pa-  
tres utiliter la-  
borant.

138.  
Fructuosa mis-  
sio in tractum  
Oleastrensem.

139.  
RES LUSITA-  
NIÆ.  
Obitus & elo-  
gium P. Joannis  
Correa.

140.  
Et Patris Anto-  
nii Morales.

tentiorum offensio. Hanc aiebat non esse pertimescendam, si caveri officio salvo non posset, nec legum nostrarum custodiam cujusvis externi cupiditibus posthabendam. Adhuc junior, tegula ex alto lapsa, non levem accepit capite plagam, qua curata, dicitur factus exinde ingenio, quam esset antea, multo vividior. Obiit pridie Cal. Octobres, annorum septuaginta circiter. Corpus in domestico facello seorsum à cæteris est conditum, qui honor apud nos viris duntaxat virtutis eximia haberi solitus. Eundem honorem retulit post duos ferè menses P. Antonius Moralius Madeirensis, frater natu minor Sebastiani illius Moralii, qui primus fuit Japoniæ Episcopus. Nulla est religiosæ laudis pars, quæ non in hoc homine eminuerit. Charitas eximia, summa demissio, studium orandi assiduum, obedientia ad omnes majorum nutus semper expedita. Levissimas quasque ordinis leges tam accuratè servabat, ut nullus illum in hac laude novitius vinceret, virum cæteroqui magnis in Societatem, meritis, doctrina singulari, & cum doctissimis comparandum. Jussus fuerat summam philosophicæ disciplinæ scribere, quam deinceps unam Professores Conimbricenses suis auditoribus explicarent. At in ipsa operis meditatione luminibus repente orbatus, facere imperata non potuit. Eam tamen calamitatem in beneficii loco ponens, curas suas omnes ad altiora convertit, statuitque reliquo vitæ tempore uni sibi ac Deo vivere. Et nihilominus, quo licuit modo, perrexit usque ad extremum alienæ utilitati servire, consentientes audiens assidue, nec minus domesticos quam externos ad omnem sanctimoniam gradum consiliis promovens. Decessit Conimbricæ 111. Cal. Decembris, magno sui desiderio, majori sanctitatis opinione post se relicta. Hactenus de Provinciis Europæ.

141.  
RES PROVINCIAE  
GOANÆ.  
Goæ collegium  
transferretur in  
aliam sedem.  
Quæ fuerit tran-  
sterendi causa.

Progredimur ad transmarinas, quas jam communi vocabulo Indicas appellamus, & narrationis initium ducimus ab urbe Goa, quæ Orientalis Indiæ primum quali limen, & caput est. Eo porro de quo scribimus tempore, sedes erat Goa Provinciæ latissimæ, ut quæ, præter magnam Asiæ partem, in Africam, exporrecta, Castrariam quoque, & superiorem Æthiopiam complectebatur. Goæ igitur circa hoc tempus Societas non unis premebatur difficultatibus. Principio multos offenderat, quod nostri collegium S. Pauli ex ea urbis partem, ubi primum à Joanne Lusitanæ Rege fuerat conditum, in aliam transtulissent. Causas tamen habuerant, non modo æquas, sed planè necessarias. Positum erat frequentissimæ juventutis domicilium ad radices exigui collis, cui inde palus adjacet iners, & angusto margine disclusa ab Oceano, inde planities depressa, ac fere semper uliginosa, ut in quam, pluviis omnia latè complementibus, influere solet ingens aquarum vis, ac lacunam limosi humoris efficere. Hinc in summis anni caloribus, quales sub torrida coeli plaga esse solent, pestiferi halitus, & aeris gravitas intoleranda. Hinc morbi crebri, & graves, corporibus præsertim nondum per ætatem satis firmis, & studiorum labore debilitatis. Nostrorum quidem, certè juvenum vix erat, qui non per ætatem aliqua valetudine conflictaretur; & videbatur, nunquam ei familiæ melius fore, nisi aliò migraret. His ita se habentibus, visum Patribus traducere in illud ædificium Tirones, qui pro ædium magnitudine pauci, locari possent in parte noxiis vaporibus minus obiecta, & vicissim collegii juventutem transferre in domum primæ probationis. Sita hæc erat in urbe media, & opportunissimo quidem loco; at prope alterius familiæ religiosos, qui gravem sibi futuram collegii propinquitatem obtendentes, irritati præterea, quod in proximo aliæ coemptæ fuissent ad excitandum externæ juventutis seminarium aedes, Matritensem aulam, & senatum Indicium querelis impleverunt, multisque nos difficultatibus implicuerunt. His molestiis, quas missus ad Regem Procurator feliciter superavit, accessit indignatio Goæ vehemens, ob desertam intempestivo tempore à nostris Insulam Madagascaris, de qua magna concepta spes erat, si missi ad eam Patres egissent, uti decuit, fortiter, & incepto institissent. Est Madagascaris, quam nunc Insulam S. Laurentii vocant, Insularum maxima, quas inter Æthiopiam atque Indiam alluit Oceanus. Adjacet Africæ è regione Castrariæ, unde distat milliaria paulo amplius du-

142.  
Querelæ ob  
eam rem nata,  
& mox compo-  
sita.

143.  
Infelix exitus  
expeditionis in  
Insulam S. Lau-  
rentii.

ducenta. Nondum ibi sedem fixerant Lusitani : id tamen & summè cupiebant, & sperabant successurum hoc tempore, fovente latam spem Regis Fanzivani filio, quem habebant apud se veluti obsidem amicitiaè haud ita pridem contractæ cum Laurentianis. Nam cum ad australem Insulæ plagam appulissent Lusitani Negotiatores, exscensione facta prope Fanzivam, excepti fuerant à Rege præter spem amicè ac hospitaliter. At ejus filius admodum adolescens, dum peregrinam navim introspicit puerili studio, explicatis repente velis, abductus fuerat ab iisdem negotiatoribus, & Goam auctus. Goæ puer, captus liberalitate Proregis Indici Hieronymi Azevedi, eruditus a nostris, & baptismo consignatus, nihil jam minus cogitabat quam patriam. Tamen, si reuectus esset ad suos, spondebat, inclinaturum se Patris voluntatem, ut Lusitanorum non modò amicitiam, verum etiam religionem acciperet. Nemine dubitante, quin egregiæ indolis adolescens promissa præstaret, Prorex quatuor instruit majoris alvei naves : navibus, præter classiarios, centuriam imponit militum, qui, si a Rege Fanzivæ daretur locus, ad ejus loci præsidium relinquerentur : Addit postremo quem dixi puerum, & Societatis quatuor delectos viros, ad religionem, quod erat expeditionis caput præcipuum, propagandam. Rebus ita comparatis, Goa solvit anno præterito classis, inter voces & vota civium fausta omnia apprecantium. At nondum annus exierat, cum affertur nuncius, redire nulla re gesta naves, redeundi autem auctores fuisse Patres Societatis, quippe à Fanzivani inclementer acceptos. Vix aliàs accidit Goæ, quod parem erga nos concitaret invidiam. Fremere omnes indignatione libera, & præ omnibus Prorex. Nec vero deerant, qui suam in alieno periculo constantiam jactantes, focordiæ criminarentur præclari operis desertores, quasi nihil fuisset quod à Rege Fanzivæ, aut ab incolis pertimescerent. Nostri pudore oppleti, nec hiscere audebant : tamen inauditos, ajebant, damnari non oportere. At Provincia Præpositus, nullam satis justam tam probrosi consilii causam existimans, nec audiendos censuit. Itaque Goam appropinquantibus ingressu urbis per internuncium interdixit, & mox omnes in diversa loca Provinciæ relegavit, uno tantum excepto, qui contra aliorum sententiam manendum censuerat, sed plurimum consensum magis improbare potuerat, quam non sequi.

Illorum interim sive ignaviam, sive levitatem egregiè compensabat aliorum virtus, qui in Castaria inter sexcenta pericula desudantes, etsi toto quinquennio nullum, aut perexiguum fecissent operæ pretium, non ideo inducebant animum, ut locum desererent. Cafri, quod lingua gentis exleges sonat, pars sunt Æthiopia in illo Africæ tractu, qui à promontorio Bonæ spei per milliaria amplius septingenta in latus Orienti obversum excurrit. Hæc olim portio Imperii Monomotapæ, nunc Lusitano paret. Adjacet ei versus orientem solem angusto disclusa freto Mozambique, brevis Insula, sed Lusitanis peropportuna. Nam ex Europa in Indianam navigantibus multas præbet utilitates, sive commeatus egeant, sive tutæ stationis, ubi naves reficiant, aut ventorum opportunitatem opperiantur, nec mercimoniis inter Indos, Casrosque, aliud toto illo Oceano aptius emporium est. Insulam arce præmunitam firmo militum præsidio occupabant Lusitani, constituta ibidem sede Præfecti, regique Senatus, qui toti Cafriæ præest. Hinc ingens loco facta frequentia, tum Lusitanorum, tum aliunde immigrantium. Soli deerant ad pietatem disseminandam Evangelici operarii, sed non diu defuerunt. Anno labentis sæculi decimo inducti sunt Mozambique Societatis Sacerdotes sex, præside omnium P. Gaspare Suario, qui, ut eò ventum est, videns ad rem divinam augendam utilius fore, spargi latè per Cafriam socios, quam simul omnes degere Mozambique, ex illa sodalium paucitate quatuor posuit diversis in locis stationes : primam Quelimani ad ostia fluminis Cuames, trecenta & sexaginta millia passuum a Mozambique : alteram in vico Senna, ad promontorium, cui nomen a Fluentis : tertiam in oppido Thetes, quæ est Lusitanorum colonia maximè mediterranea, in finibus Monomotapæ : quartam denique in ipsa Insula Mozambiquensi. Hæc Suarius,

244.  
Invidia ob causam  
causam a nostris  
contracta.

245.  
Societas Mo-  
zambique, &  
inde in Cafri-  
am inducta.

fa-

146.  
Sociorum steri-  
lis labor in Ca-  
staria.

147.  
Gravis jactura  
domicilii Mo-  
zambiquensis.

148.  
Status rerum  
in Æthiopia.  
Qualis ibi re-  
gnaret hoc tem-  
pore Imperator.

149.  
Nostris, &  
Religioni Ca-  
tholicæ impen-  
sè favet.

favente plurimum ejus consilii Præfecto regionis Stephano de Athaide, viro probo, & nostri ordinis amantissimo, licet iisdem adversarentur aliqui de Societate, quibus solam infideri Mozambiquem placebat. Sic ergo divisi Patres, laborem suum ad omnem regionem derivabant, excurrentes ex illis quasi arcibus ad circumpositas plagas, nec interim curam Lusitanorum militum negligentes. Sed quod pertinet ad indigenas, parum admodum proficiebant. Castri ingenio rudes, cultu barbari, & nedum externis, sed sibi met ipsis invicem infociabiles, ut multum illicerentur cunctis benevolentiae signis, aut non credebant se Patribus, aut eorum doctrinam aspernabantur. Ipsa autem regio, præter incolarum ferociam, situ squalida, & coeli gravitate infalubris, nostris alio vitæ, aliaque coeli temperie uti assuetis, uberem patientiae segetem subministrabat. Perstabant nihilominus tot inter angustias Patres magna constantia, pergebantque sterile solum colere, animum sustentantes meliorum temporum spe. Detinebantur etiam charitate paucorum, quos jam baptismo initiatos æquum non erat sacrorum ministerio destituere. Nec interim habitantibus Mozambique Sociis adversa defuerunt. Stephano de Athaide successor venerat longè aliter ac ipse affectus in Societatem. Is cum accepisset à Rege mandata, ut quasdam veteris ædificii parietinas dirueret, propterea quod Batavis ad everberandam tormentis arcem ex adverso stantem pro aggere fuerant, Regia jussa laxius interpretatus, domum quoque nostram parietinis adhaerentem disjecit. Spoliati recto Patres cogebantur, aut excedere Insula, aut vitam ærumnosam agere sub tabernaculis. Hoc alterum, quocunque suo incommodo, maluerunt.

Dum hæc ibi gerebantur, Æthiopia (illam dico superiorem, quam Abissini incolunt) theatrum ingens rerum aperuit, initio quidem latum, sed exitu lucuosum, ac demum Societatis sanguine cruentatum, quod nobis in decursu annalium scribendi materiam amplissimam dabit. Rerum potiebatur hoc tempore in Æthiopia Imperator Seltan-Seguedus, vir cunctis regnandi artibus excellentissimus. Exclusus per vim ab Imperio, quod erat illi sanguinis jure debitum, fortunis spoliatus, quæsitus ad vincula, vitam, & libertatem, partim fuga, partim fida clientum manu tutatus fuerat per annos octo circiter, quo spatio temporis inops, atque exul, nusquam stabili sede, spe semper incerta, per silvas, & ardua montium erraverat; hoc dignior meliore fortuna, quod adversam fortiter tolerabat. At tandem prælio victor qui causa vincebat, & Imperium sublato æmulo consecutus, talis ad solium accesserat, ut nullam in eo laudem imperatoriam desiderares. Constantia promissorum, liberalitas in amicos, clementia in hostes, & quædam haud indecora Principi popularitas, propria ejus erant ornamenta. Idem ingentium curarum & capax, & patiens. Idem justitiæ tenax cum primis, & æque nescius injuriam facere, ac insultam pati. Animo supra opes elato, potior donandi, quam habendi voluptas erat. Itaque in bellis, quæ plurima gessit, labores & pericula cum milite, spolia inter milites dividebat. Tot dotibus accedebat Religio vera, quam a nostris oblatam suscepit, & post annos amplius mille in Æthiopia quodam quasi postliminio revocavit, futurus propterea inter Principes clarissimæ famæ, nisi quæ pulcherrimè coeperat, in extremo vitæ corrupisset. Hoc quidem tempore in rem Catholicam egregie animatus, Patres Societatis complectebatur incredibili benevolentia, habebatque in honore ac pretio, quippe veritatis doctores in Æthiopia unicos, & extirpandis erroribus sibi divinitus datos. Tantum, ad continendos in fide populos, eosque ad obedientiam Romani Pontificis adigendos, præstolabatur subsidia militis Lusitani, quæ haud ita pridem per litteras a Rege Catholico flagitaverat. Latissima demum erat rerum facies in Æthiopia, cum appareret, nullam esse Principi curam religione potiorem. Præclaris ejus consiliis favebant nonnulli procerum, maximè verò frater ejus junior Cela-Christus, vir bellica laude celebratissimus, in quo, præter regiam agnationem, virtutes eminebant omnes, quibus claritas generis illustratur. Erant Societatis operarii in Æthiopia numero pauci, sed egregii omnes, & impigri, in quibus P. Petrus Pæzius, cum usu

usu rerum Æthiopicarum, tum rebus gestis, & magnis in rem Catholicam meritis eminebat. Tres habebant diversis in locis stationes, unam Fremonæ in Regno Tigræo, Gorgoræ alteram in Dambeano, tertiam Colelæ in Gojamenli, erantque in his totidem instituta juventutis seminaria, ubi Lusitanorum filii, ac multi præterea indigenarum pietate, & litteris instituebantur. Imperator Cogæ cum tota Regia confidens ad mare Dambeæ (hoc nomine Æthiopes vocant ingentem lacum, quem Nilus interfuit) Patres ad se subinde evocabat Gorgora, Pæzium præsertim, ut cum illis communicaret quæcunque ad religionis causam pertinerent: quorum colloquiorum is erat plerumque exitus, ut nova semper, & maximè salutaria inirentur consilia ad convellendos errores, & fidem Catholicam instaurandam.

Neque tamen hæ Patrum excursiones ad aulam periculo vacabant. Cum enim eluviones terrestria itinera clauderant, ire cogebantur per lacum parvis lintribus, qui cujusmodi sint nosse, non arbitror legentibus ingratum fore. Naviculæ sunt admodum exiguæ, quas non ex tabulis, ut nos, sed ex quodam contextu genere fruticis, ad modum paleæ, cujus fertilis est ora lacus. Hujus nimirum fruticis culmos aridos, densatosque tigno infigunt tereti, & oblongo: infixos hinc inde adducunt, vimine constringunt, attolluntque in modum scaphæ, non sine specie puppis, & proræ, sed alveo perangusto. Levissima sunt ejusmodi actuariola, nec aguntur nisi remis, meris videlicet virgis sine parmula, quibus navicularii ex utroque latere fluctus verberant. Frangi mergive lembos adeo leves agileque, vix contingit. At nisi vectores utramque partem aptè librent, aut non æqualiter collocata sint onera, altero latere vel tantillum præponderante, linter evertitur, quæ frequentissima est naufragiorum causa. Est deinde omni procella formidolosus in illo lacu monstrum, quod Gummarim Indigenæ, Lusitani Hippopotamum appellant. Animal quadrupes, mole corporis prope Taurum, crura habet brevissima, pedes quadrifariam fissos, armatosque unguibus quatuor. Venter belluæ latior quam longior, rigidum & breve collum, caput specie prorsus informi; depressum quippe, ac fetis hirtum, equinis auribus, simis naribus, rictu immani, qui hiando tres pateat palmos. In dentibus præcipua feri vis. Superioris ordinis duo, ut in apris, acuti, & recurvi, crassitie quatuor digitorum, longi circiter sesquipalmum. Ex brevioribus nonnulli octonos digitos longi, ferè ternos lati. Toto corpore fetis riget, eute admodum crassa, mollissima tamen, & cuivis telo penetrabili. Fremens sonum edit hinnienti similem. Qui belluæ carnes gustarunt, negant differre à bubula. Narrabant Patribus indigenæ, genus hoc animalium esse in lacu frequens, & in plures quasi greges distribui: diem agitare in aquis, nocte in proxima camporum ad pastum egredi, & nisi arceantur, certam segeti ruinam importare. Sed facilem esse arcendi modum, vel aggestis circum sata lapidibus ad altitudinem cubiti, vel ignibus proximè dispositis; nam nec septum transilire ob crurum brevitatem posse, nec audere ad ignem propius accedere. Sed quæcunque de his illi narrarent, animal est utrobique pertimescendum, & in aquis maxime: Fertur enim in parva illa navigia impetu ferocissimo, anterioribus unguibus apprehensa subvertit, effususque in aquam vectores dentibus discerpit. Quæ pericula ut vitarent Patres, duabus plerumque utebantur naviculis, legabantque quam proximè poterant littus, longo circuitu. Monstrum viderunt aliquando, semel impetiti ab eo sunt, sed vocato Numine, periculum evaserunt.

Per hæc vitæ discrimina viam quærebant nostri, qua tandem Catholicam fidem, & cum Romana sede concordiam Æthiopiæ restituerent. Sed quamquam præclaris eorum cœptis faveret impensè Imperator, adversarii non deerant numero & viribus prævalidi, quos nec ipsè Rex irritare posset impune. Principem in his locum dignitate & potentia obtinebat Simon Abuna, id est sacrorum summus Antistes. Abunæ se comites & fautores adjunxerant Monachorum plerique, quorum est in Æthiopia ingens numerus; natio hominum imperitissima, metuenda tamen, quippe auctoritate plurimum valens apud populum, su-

To. I.

H

perba,

150.  
Socii in tribus stationibus collocati rem Catholicam egregie juvant.

151.  
Cujusmodi naviculis utantur Æthiopes in Lacu Dambeæ.

152.  
Quale monstrum sit Hippopotamus, & quam frequens in illo lacu.

153.  
Abuna gentis Antistes, alii que, præsertim Monachi, fidem Catholicam instaurantur.

154.  
Abuna Catholicam veritatem profitentes anathemate ferit.

155.  
Imperator Conventum Monachorum indicit.

156.  
Abunæ insignis audacia contra Principem.

157.  
Monachi dogma Catholicum respuunt per tumultum.

158.  
Et milites ad seditionem sollicitant.

159.  
Imperator Cœtum dissolvit re infecta.

perba, audax, & ciendis turbis idonea. Demum Catholicos aperte infectabantur Imperatoris frater Emanu-Christus; tum ejus gener Julius Tigræorum Prorex, vir ille quidem bello egregius, sed ob insanam potentiæ cupiditatem dudum Principi ac focero suo infensus: postremo Cassius, præpotens Eunuchus, regni domus Præfectus. Hi cum viderent, Imperatorem à sententia Romanæ fidei amplectendæ abduci nullo pacto posse, de illo perdendo conspiraverunt. Primum seditioni fomitem dedit Abuna, gentem inflammans veterum religionum obtentu. Nuper in gravissimo totius regni conventu cum nostris disputare ausus, victusque rationum momentis, damnaverat errorem Eutichetis, & Dioscori, & duas in Christo naturas palam admisit. Nunc facti poenitens, quicumque duas in Christo naturas agnoscerent, eos pro potestate, quam sibi aiebat à Principibus Apostolorum traditam, anathemate percussit. Commotus insolenti factu Imperator, denuo Cleri cœtum indixit apud se, ut in amplissimo consessu Procerum, ac Monachorum inconstantia rationem quæreret ex Abuna; tum etiam ut, re in communi deliberata, dissidium religionis finiret. Affuerunt cœnobiorum Præfecti cum Monachorum doctissimis. Affuit præ cunctis Abuna, sed cum eo comitatu, ut intelligeretur, non ad differendum, sed ad pugnandum venisse: tot undique exciverat suarum partium Monachos, non scientia, sed audacia timendos. Omnia ex tumultu magis, quam rite atque ordine acta sunt; apparuitque hic quoque, quod sæpe alias, hæreticos ad publicè disputandum ita comparatos accedere, ut cum errorem suum revinci sentirent, in eo pertinacius obfirmarentur. Principio rogatus ab Imperatore Abuna, cur sententiam mutasset? diserte negavit sibi unquam excidisse, ut duas in Christo naturas diceret. Quam mentiendi audaciam non ferens Princeps: Itane, inquit, his coram dictum negas, quod ex te omnes audierunt? Simul adstantes Catholicos antestabatur, an non illum audissent, cum affirmaret, duas in Christo naturas admitti oportere? Ad hæc homo effrons, neminem, ait, testem esse idoneum contra se: suspectos omnes, omnes esse intestabiles. Idem ex composito pronunciarunt Judices, quos deligi voluit Imperator, ut de testium exceptione cognoscerent. Ventum erat ad præcipuum controversiæ caput. Duplicis naturæ dogma differebat Cela-Christus ea perspicuitate, & vi, cui resisti non poterat. Succlamatum est ex adverso, non debere quæ diceret, vel audiri, vel refelli: quæ Dioscorus tradidisset, pro certis retinenda: vetuisse sibi Dioscorum æterno anathemate, ne Leonis doctrinam audirent. Tum sermone turbulento, & inonditis vocibus, conversi ad Principem, procaciter postulavit, ut intercessis litibus, velit jubeat, solam Dioscori fidem, decem jam & amplius sæcula vigentem in Æthiopia, factam testam servari, nec Abissinos cogat, relicta Patrum religione, duos Christos cum Nestorio, vel quod deterius, duos cum Ethnicis habere Deos. Quo facta, aliqui Monachorum manipuli, egressi in castra circumposita, & per militum contubernia concursantes, miscunt omnia vocibus seditionis: adesse tempus oppignorandi pro pietate vitam, exemplo Martyrum: certandum adversus hæresim Nestorianam, moriendum, si res ita postulet, pro patrio dogmate. Affertur inter hæc Principi nuncius, tristitia omnia imminere, milites seditionem moliri, parum abesse, quin à signis abscedant. His rebus cognitis P. Pæzius, qui aderat in consessu, videns negotium versari in ancipiti, nec tales esse vires Imperatoris, ut legem dare nolitibus posset, auctor illi fuit, ut continuo cœtum dissolveret, in integro relicta re, cujus gratia fuerat convocatus. Nam coactæ in unum, & concitate multitudinis primos impetus esse prævalidos: minui tamen sensim, ac tolli penitus ejus vires, cum audaciam, quam multi sibi invicem fecerant, singulis adimit solitudo. Visa hæc Imperatori hæud minus utilia, quam vera. Quocirca Monachos tumultuantes admonuit leniter, ut monumenta antiquitatis diligentius scrutarentur, mox pacatos dimisit in suas domos. At eorum post hæc odium adversus Regem exarsit impotentius. Audaciores faciebat favor multitudinis, quæ ad tuendas avitas religiones plus nimio incensa videbatur. Abuna,

na, homo sanguinarius, & pro hæresi Alexandrina præceps in omne scelus, ea populi consternatione uti statuit ad publicum parricidium, multosque potentiorum illexit, ut coirent infandi sceleris societatem adversus Regem, & se duces rebellionis præberent. Sed quemadmodum hæc omnis machina in suum reciderit auctorem, libro proximo demonstrabimus.

Ex Africa convertimur nunc in illam Asiæ partem, quæ inter Indum & Gangem continetur, & magni Mogoris Imperium dicitur: nam & hunc amplissimum terræ tractum excolebant Goanæ Provinciæ operarii. Jam ante annos aliquot domicilium, & sacram ædem habebat Societas in duabus Mogolici Regni præcipuis urbibus, Agra, & Lahoria. Sociis ibi confidentibus, & Christi amplificare cultum studentibus, præerat P. Hieronymus Xaverius, magni Xaverii Indiarum Apostoli fratris filius non degener, qui in cultura Mogolum, multis exanthlatis laboribus, consenuerat. Regnum obtinebat Selimus Jehanguirus, Princeps hæcenus à Christiana religione adeo non alienus, ut imo nulli esset dubium, quin eam aliquando vellet amplecti. Nam & nostris amicissimum se præbebat, & iisdem regio diplomate potestatem amplissimam fecerat aggregandi Christianis quoscunque possent; & Mahometanorum, Ethnicorumque, qui ibi plurimi, superstitiones & fabulas ex æquo contemnebat; ac demum, ne qua subesset de sua voluntate suspicio, duos regiæ stirpis adolescentes, quos ut proprios alebat liberos, ultro tradiderat Patribus baptismo initiandos, educandosque Christianorum moribus, & institutis. Ex tam secundis initiis lata, ac fausta omnia sperabantur; sed dissimilis fuit exitus: magna autem rerum inclinatio hoc anno facta. Jehanguirus, seu non bona fide egisset usque ad hoc tempus, sive Christianæ legis difficultate deterritus mentem mutasset, ex improvise duos reposcit, quos dixi, adolescentes, & redire ad Mahometem jubet. Inconstantia non aliam obtendebat causam, nisi negatam Lusitanis à Prorege Indiæ facultatem ut filias suas Mogolibus jungerent. Cum esset ob eam rem male erga Proregem Indiæ animatus, alia nescio quo fato suborta est multo gravior offensio, quæ Societatem, & rem Christianam ultimum in discrimen adduxit. Præfectus Lusitanæ classis myoparonem Mogolensium negotiatorum mercibus onustum interceptat, propterea quod, contra jus Lusitanorum, ex Emporio Mocæ recta Cambajam tenderet. Jure an injuria captum esset, navigium cum præda reposcebat Rex Mogolicus: negante autem Prorege Indico se redditurum, ex æquo & bono, bello repetere statuit. Hinc Patrum turbata tranquillitas, & progressus fidei plurimum retardati. Rectè enim existimans Rex, non posse se Proregi Lusitanisque ægrius facere, quam si contumelia Patres, religionem injuria afficeret, hinc ferale bellum exorsus est. Erat apud eum summè gratus, quem supra nominavi, P. Xaverius. Hunc ab se Goam dimittit, legatum veluti suum, & sequestrum pacis; simulans experiri velle, an talis viri auctoritate confici negotium sine armis possit. At proficiscentem, nihilque suspicantem minus, in ipso itinere detineri jubet per Prætorem Cambajæ: eodemque tempore, litteris ad Prætores regiarum urbium Lahoria, & Agræ datis, Patrum Ecclesiis obferari, Patres ipsos adigi in exilium imperat. Nihil distulerunt Prætores jussa facere, Lahoriensis præsertim, ferox ingenio vir, & secta Mahometanus. Involat confestim in domum Societatis cum satellitum manu, Patres Antonium Machadam, & Franciscum Corsium nihil tale metuentes occupat, exturbat domo, & cum insigni verborum contumelia excedere oppido jubet. Idem nihilo segnius facturus erat Agrensis cum P. Josepho de Castro. At homo non adeo immitis facile se exorari passus est, ut proferret nonnihil exilii diem: quo spatio interjecto Castrius Xaverium de re tota per cursorem celeriter submissum admonuit; ille autem per amicos, quos habebat in aula plurimos, obtinuit à Rege, ut saltem Agrensi domicilio parceret. Mansit itaque Agræ Castrius, eodemque mox venire permissum Machado, & Corsio, quoad dissidia cum Lusitanis orta componerentur. At enim hæc acerbis crudescabant in dies. Goæ cum multa fuisset deliberatio de placando Mogole, qui ad pacem incli-

To. I.

H 2

natu-

160.  
Acta Sociorum  
in Imperio Mo-  
golico usque ad  
hoc tempus.

161.  
Rex magni  
Mogoris irasci-  
tur Lusitanis.  
Quæ fuerit of-  
fensionis causâ.

162.  
Vexantur Pa-  
tres, & suis do-  
miciliis per vim  
exturbantur.

163.  
Bellum inter Lusitanos & Mogoles nostrorum interventu componitur.

164.  
Nostrorum & religionis res in deterius ruunt.

165.  
RES PROVINCIÆ MALABARICÆ. Status religionis inter Thomæos sub Antistite Francisco Rozo.

166.  
Fundatur collegium Cranganorensis. Primi ejus fructus.

167.  
Multorum fiducia in uno oppido feliciter extincta.

naturus putabatur, Prorex Azevedus ire maluit in eorum sententiam, qui speciosa utilibus preferentes censebant, esse è dignitate nominis Lusitani bellum minanti arma potius offerre, quam pacem. Classe igitur quam potuit instructissima in Cambajam solvit Prorex, paratus, si hostis vim faceret, litem ferro decernere. Et fortè non sine multo partium sanguine pugnabatur, nisi nostri intervenissent. Secum egerat Azevedus P. Emmanuelem Pinheirum, spectabilem canitie virum, & rerum Mogolicarum longo usu peritissimum. Huic se Xaverius adjunxit. Cum ambo mentionem pacis intulissent, leges propositæ sunt Lusitanis haud minus honestæ quam utiles, quibus utrinque acceptis, flamma belli jam prope erumpentis resedit. Lahoriæ, Agræque pax est publicata. Utrobique reddita Patribus ædes pristina, & jus domicilii, quale antea fuerat, restitutum. Detractum tamen de regia in eos liberalitate plurimum, quodque gravius, conceptæ de Jehanguiro spes eversa penitus, & extinctæ. Jam de sequendo Christo barbarus nec verbum pati, qui id sæpe antea se facturum promiserat: jam nullam religionem malle, quam Christianam. Utque ita fieri solet, ut Principum exemplis populi non minus quam imperiis ducantur, civium etiam pars multo maxima a nostris sacris incredibiliter abhorrere. Deliberabant propterea nostri, an non expediret solum illud Evangelicæ sementi contumax omnino deserere. Sed vicit sententia, quæ locum relinqui vetabat, ne qui ibi erant Christiani fere quingenti, sacrorum ministerio destituerentur.

Goanam Provinciam excipit Malabarica. Hujus intra fines ingens est Christianiorum numerus, quos Lusitani a locis quibus habitant Montanos, ipsi verò se à S. Thoma Apostolo, quo auctore, & Parente gloriantur, Thomæos nominant. Gentem ab hæresi Nestoriana, & a Babylonico Patriarcha haud ita pridem abstraxerat vir inclytæ famæ Alexius de Meneses Goanus Archiepiscopus, receperatque in obedientiam Romani Pontificis, obligata populorum fide, nunquam futuris temporibus habituros pro Episcopo, nisi quem designasset Lusitanicæ Rex, Romanus Pontifex instituisset. Primus post hæc Thomæorum Antistes fuerat renunciatus noster Franciscus Rozus, qui cum aliquandiu veteri Decessorum more confedisset Angamalæ, expertus postmodum, ob assidua inter Regulos circumpositos bella, nullum ibi tempus esse ab armorum tumultu, vel metu vacuum, impetrato assensu Pontificis Maximi, Sedem Archiepiscopalem transtulit Cranganorem, munitam urbem, & Lusitanis obnoxiam, unde Archiepiscopus Cranganorensis appellari cœpit, quo semper nomine a nobis in posterum designabitur. Hæc tametsi fusè prosequatur Juvencius in quinta parte, leviter indicata hoc loco volui, quia lucem dicendis in decursu annalium afferunt. Jam ergo Rozus, pacata circa se omnia, ac tuta videns Cranganore, adjecit animum, quantumvis pauper, ad constituendum ibi collegium Societatis, quod pridem inchoatum, sed sine certa domo, ac nullo penitus censu fuerat. Contulit in hunc usum quæcunque habebat. Agrum coemiti soli per quam frugiferi prope arcem, ad sustentandos Patres: fundum ubi collegium inædificaretur nostris addixit; nec verò aliam conditionem imposuit, nisi ut victuri ibi Patres cura præcipua in Thomæorum salutem incumberent. Id unum Præpositum Generalem, id Provinciales sanctè enixèque obtestatus est. Quam acquisitam legem ut impleret Præpositus Provinciæ P. Gaspar Fernandus, dedit jam tum Antistiti viros religionis studio flagrantissimos, ac præ cæteris Patres Joannem Mariam Campora, & Joannem Sofa, par hominum insigne, qui ab ipso fundati collegii initio totam obire dioecesim aggressi, anno uno duodeviginti Thomæorum civitates lustraverunt. Non exequar per partes, quid in singulis ubique locis gesserint, ne sim proluxior. Non tamen prætermittam tacitus, quod Calicolani factum comperio. Erat omne oppidum privatorum inimicitii scissum in partes, & maxime turbulentum. Progressus ad concionem frequentissimam, unus Patrum, narravit prius S. Joannis Gualberti celebre exemplum, perrexitque mox de condonandis injuriis multa appositè diserteque dicere. Sensit ex vultu oculisque audientium, alte in omnium animos penetrare orationem. Institit con-

contentiore voce, ac duos ex primoribus ira inveterata discordes compellans nominatim: Proditæ, inquit, in medium vos: abjicite aliquando funesta odia, & vobiscum invicem in gratiam redite. Crederes Dei vocem fuisse. Exiliunt ambo, in mutuos amplexus ruunt, osculantur se se. Gestiebant lætitia cives in tam jucundo, & insperato spectaculo. Cum ecce tibi alii duo, & paulo post alii plures similiter alter alteri pacem & amplexum offerunt, usque ad viginti hominum paria. Fuit ex eo numero qui Regulo sæpe antea roganti ut simultates finiret, semper obstinatè restiterat. Ei nunc exprobrabat Præfectus urbis, quod externi hominis pauca verba pluris apud eum fuissent, quam tot Principis suasiones, & preces. Id minime mirandum esse, respondit; neque enim paris periculi fuisse in ea re voluntatem Principis, & Concionatoris monita aspernari: ab altero, præter exilium, nihil habuisse quod timeret: ab altero propositam sibi fuisse divini Numinis offensionem, & poenam sempiternam. Cæterum tantam Patribus auctoritatem conciliabat, cum perspecta morum integritas, tum etiam opinio quedam, quæ latè pererebuerat, vim illis cœlestem esse ad pellendos morbos, aliaque supra naturæ usum patranda. Nec erat opinio profus imprudens. Solebant Patres decerptas ex Evangeliorum codice sententias exarare parvis in schedulis, easque poscentibus distribuere, præsidio futuræ videlicet adversus artes maleficorum, aliaque infortunia. Schedulas Christiani argenteis inclusas laminis circumligabant brachiis, gestabantque perpetuò, ac sæpe in desperatis rebus utiles, præter omnem humanam opem, experiebantur. Ipsi, quod magis est, Ethnici interdum, ad hujusmodi schedularum contactum, valetudinem jam conclamatam recuperabant. Hinc apud vulgus Patrum existimatio incredibilis. Hinc ad eos crebri concursus, & tanti, ut vix possent omnibus satisfacere.

Ad australem Malabaricæ Provinciæ partem pertinebat hoc tempore Ceylanum, Insularum circa Peninsulam Indicam adjacentium maxima, quam multi putant illam esse tanti apud antiquos nominis Taprobanam, idest terram deliciarum. Opinioni fidem facit cœli mira temperies, ubertas soli, & omne genus deliciarum, quas ibi perhibent sponte nasci. Sed utcumque sit de hac re, inducta fuit Societas in Ceylanum ineunte sæculo de quo scribimus, auctore, quem alibi nominavimus, Hieronymo Azevedo, nostri Ignatii Azevedo Martyris germano fratre, qui dominantes ibi Regulos armis feliciter insecutus, pacavit ad extremum Insulam, & Regi suo subjecit. Borealem regionis partem Societas excolebat, australem oppositam Franciscani: sic enim præscripserat Episcopus Coccinensis, ne qua inter duos ordines contentio oriretur. Columbi, quæ arx est Lusitanorum præcipua, confederant initio nostri. Inde mox in interiora progressi, stationes collocaverant Chilai, Caymelæ, Mundapæ, & Mategamæ, quibus in locis cum nulli essent ante Patrum adventum Christiani, jam superstitionis vix reliquiæ supererant. Itum quoque in Cardivam, brevem Insulam, æstuario potius quam freto divisam à continenti, ac tribus diversis locis erecta Ecclesiæ, dissipati errores, multi mortalium ad Christi gregelem traducti. Sic in illa terræ plaga perrexerant nostri divinam Religionem augere usque ad hoc tempus: cum Cingalarum (ita Ceylanenses vocant) foeda defectio præsentem laboris successum, & spem futuri non nihil retardavit. Haud obscura præluxerant tumescens rebellionis indicia; nec ignorabant Lusitani, indignantibus externa imperia populis, non animum ad rebellandum deesse, sed Ducem, quem non extititum aliquando in tanta Ethnicorum multitudine, vix videbatur credibile. Extitit nunc, & temporius quidem, quam primi ejus conatus caveri potuerint, aut comprimi. Signum rebellionis sustulit vir conditionis infimæ, cui hominum fere quinque millia momento se aggregarunt. Discurrebant huc illuc perduelles quasi lymphati, vastabant oppida, expilabant domos, omnia tumultu, rapinis, cædibus miscebant. Venerant eorum circiter quinquaginta Mategamam, ubi simul degebant nostrorum Patrum duo, Joannes Metellus, & Ludovicus Matthæus Pelingottus, hic loci Pastor, ille hospes, Cæteris ad

168.  
Curationes morborum supra naturæ vim factæ, nostris auctoritatem conciliant.

169.  
Status rerum in Ceylano usque ad hoc tempus.

170.  
Ceylanensium seditio contra Lusitanos.

171.  
PP. Joannes Metellus, & Matthæus Pelingottus crudeliter interfecit.

172.  
Odio Religio-  
nis peremptos  
Lusitani cre-  
dunt, nec im-  
merito.

173.  
Rebelleſ inſi-  
gni clade attriti  
pœnas impieta-  
tis luunt.

174.  
In Regno Ben-  
galæ omnia ad  
interitum pro-  
perant.

175.  
Expugnatur  
à barbaris Arx  
Siriana, noſtri  
in ſervitutem  
abducuntur.

ad diripiendas ædes oppidanorum diſperſis, pauci recta provolant ad Eccleſiam, & nuntiarî Patribus jubent, adeſſe miſſos à Prætorè nuncios, qui litteras ad eos, & neſcio quæ mandata perferrent. Patres quod erat minime ſuſpicantes, egrediuntur nullo metu. Poſcebat litteras Pelingottus, cum loquentem invaſit qui propius aderat ſicarius, tranſfixitque, adaçta in peçtus lancea. Adreſſit ille ſemianimis ad crucem ex adverſo ædis erectam, ubi dum genibus nixus Jeſu nomen inçlamat, eum barbari iteratis içtibus confecerunt. Metellus, tentata nequidquam fuga, ubi ſenſit non poſſe ſe hoſtes a tergo iſtantes evadere, procubuit in genua, necem excepturus fortiter, & lancea ſimiliter confoſſus jacuit. Religionis, an gentis odium rebelles ad tantam immanitatem impulerit, haud ſatis conſtat. Patres fidei cauſa necatos Luſitani credidere, quam opinionem affirmare viſa latronum inſignis impietas. Patrata enim cæde, Eccleſiam, & ſacra omnia furentium more diriperunt, aras ſubverterunt, Chriſti crucifixi ſignum fœde multaverunt, demum capita interfeçtorum, ſive ad Chriſtianorum terrorem, ſive ad religionis ludibrium, pro foribus templi haſtilibus infixæ reliquerunt. Corpora piè collegerunt Luſitani, ac tunc quidem in loco ubi fuerat Eccleſia condiderunt ſine ſplendore ac pompa; ſed melioribus poſtea temporibus Columbum honorificè deportarunt. Pelingottus gente Italus, natus erat Sorbolongi, in oppido Diceceſeos Forofempronienſis. Metello patria fuerat Luſitaniæ pagus, cui Bonoviridario nomen, in ditione Præpoſiti Cratenſis. Erant ambo in ipſo robore atatis, & Cingalarum linguam apprime callebant. Incidit eorum mors in diem ſextam Decembris. Jam vero hoc Ethnicorum motu hæſit paululum in Ceylano promulgatio Evangelii. Sed mox ſeditione compreſſa, & pacata iterum Inſula, curſu quo coeperat, lato admodum, ac ſelici progreſſa eſt. Interim cognoscere licuit iram læſi Numinis manifeſtam in præſenti impiorum pœna. Luſitani, contractis omnibus copiis, bellum inter necinum rebellibus inſerebant; ſed dum prælium committitur, obruebantur numero, & terga dabant. Fugientibus, neſcio quo caſu, obicitur illud Chriſti crucifixi ſignum, quod barbari, ut ſupra docuimus, indignè violaverant, adhuc retinens illatæ contumeliæ notas. Ea ſpecies, mirum ut omnibus indignationem moverit, & quantum addiderit audaciæ, ac virium. Primus omnium redit in aciem nobilis Centurio Emmanuel Correa, vincendum clamans, aut pro Chriſti gloria moriendum. Sequuntur ejus voce & exemplo incitati cæteri milites, prælium redintegrant ferocia incredibile; donec, ſupplente numerum virtute, ſeditioſos jam victoria exultantes cum magna occidione fuderunt.

Rebus in hunc modum alternantibus in Ceylano, in regno Bengalæ, quod eſt circa Gangis oſtium, itemque in Inſulis, quas Molucas vocant, quouſque Malabaricæ Provinciæ fines orientem verſus porrigebantur, omnia periire. Nihil jam Luſitanis, nihil religioni erat reliquum in regno Bengalenſi, præter munitiſſimam quamdam arcem, in finibus regnorum Arracanenſis & Peguani ſitam, cui Siria nomen, & Sundivam, inſulam brevi freto diremptam à continenti. Cætera paulatim ademerant Reges, qui plures, & validi in diverſis ejus terræ oris imperitabant. His tamen ſtantibus, multum adhuc ſupererat ſpei. Portum efficit Siria, ſcopulorum objectu tutum. Arcem impoſuerant Luſitani lapideis munimentis inſtructam, qua Reges proximos, tanquam fræno, continerent. Sæpe Rex Arracani, conjunctis cum Rege Tangi viribus, arcem terra marique obfederat, ſed irritò ſemper conatu. Locum obtinebat pro Rege Luſitaniæ Philippus de Britto, lætam militum manum in præſidio habens. Aderant Societatis nonnulli Patres, & collectum Chriſtianorum gregem non exiguum ſedulò cuſtodiebant. Cum Avæ Rex, omnibus quibus potuit viribus ad arcem excindendam coortus, naçtusque præſidarios numero pauciores, & victoriis ipſis plurimum debilitatos, poſt obſidionem aliquot menſium, eos ad deditio- nem coegit. Captis omnibus, Brittum barbarus palo infixum extulit in editiſſimum propugnaculum, & miſero in tam atroci ſupplicio crudeliter illudens, velle ajebat eum ibi eſſe, unde ſuam illam arcem habere ſubjectam oculis, &

me-

melius in posterum custodire posset. Reliquam multitudinem, quatuor fere millia Christianorum, Avam in servitute abduxit. Inveni in hoc numero Patres Didacus Nunnus, & Emmanuel Fonseca. Sed prior arumnis captivitatis confectus decessit in ipso itinere. Alter post annum scribebat Goam ad socios, se jam Avæ mitius haberi, frui libera facultate agendi cum captivis, in iis excolendis consolandisque operam non inutilem ponere: se denique alia re non egere, nisi instrumento sacrificiali, quod propter ad se mittendum curarent; redimi enim, quamdiu tantus ibi detineretur fidelium numerus, omnino nolle. Sed ut redeam ad rerum seriem, paulo post Siriana arcis excidium, etiam Sundiva collapsa est. Hanc nuper ex manibus barbarorum receperat, ac suam fecerat nobilis Lusitanus Sebastianus Gonsalvius. Adjunctis enim sibi aliquot suæ nationis hominibus, cum instituisset in maritimas illas oras armato lembo prædabundus excurrere, opes in dies augens ex præda, eas brevi collegerat vires, quibus occupare Sundivam potuit. Potitus Insula Gonsalvius, ut novæ ditionis initia religione firmaret, eò Societatem reduxerat, attributa fede pristina tribus nostrorum, qui colligerent Christianorum reliquias, & fidem nondum plane abolitam restituerent. Sic Lusitana, sic Christiana res stabat in illa Insula; cum Gonsalvii potentia in dies formidolosior finitimos excivit Reges, ut in ejus perniciem vires & arma conjungerent. Non ille propterea despondebat animum, scopulis fratus scilicet, nativis loci propugnaculis, & suorum virtute. Sed tandem, commisso parum prosperè navali prælio, cum amisisset classem, nec Insulam, ob terrestrium virium pucitatem, tutari posset, loco cedere coactus est. Excessere pariter nostri; atque hoc uno casu, Lusitanorum æquè ac Societatis res in sinu Gangetico penitus conciderunt.

In Molucis Insulis affulserat haud ita pridem læta spes reparandi religionis ruinas, quæ copiosè narrantur in quinta parte nostrorum annalium. Petrus de Acunia Prætor Philippinarum Ternatem munitissimam arcem expugnaverat, expulerat ex Insula Tydorensi Batavos, collocaverat opportunis in locis præsidia, relicto demum ad belli reliquias persequendas milite, victor Manilam se receperat. Quo rerum successu cum pateret denuo Societati aditus in eas insulas Xaverii primum, ac deinde Sociorum laboribus feliciter excultas, affuerunt continuè ex Provincia Malabarica PP. Joannes Baptista Scalamentius, Andreas Simi, Emmanuel Leitanus, alique impigri operarii: Morum, & Morotajum fixis stationibus occuparunt, in reliquis Insulas excurrerunt; hæcque adhuc vividam in multis indigenarum Christianam fidem, in aliis vix extinctam, gentem ubique docilem, aut non adversam, præteritas clades non improspere reparabant. Verum inter hæc trepidus occurrit nuncius, adventare cum apparatissima classe Batavos, minaces proras in conspectu esse. Conterritus, ut in subito malo, Præfectus Hispanorum, incertusque ubi nam vellent excensionem facere, quidquid usquam erat militum contrahit ad tuendam arcem Ternatensem, in qua rerum summa videbatur reposita. Ita Batavi, prohibente nemine, ejiciunt sese in Morum & Morotajum, ac duabus Insulis impune potiuntur. Ternatenses, qui ægrè Hispanis se subjecerant, audito Batavorum adventu, hanc occasionem suam rati, raptim expediunt arma, fugatisque Hispanis, omnia intra Insulam suam recuperant, præter arcem. In hanc simul cum militibus nostri se receperant, ut in asyllum rei labantis ultimum. Accidit post paulo dira calamitas, quæ hinc etiam dejecit Hispanos, & spem omnem rerum meliorum in Molucis profusè extinxit. Novus Philippinarum Prætor Joannes de Silva classem paraverat validissimam, utque certius cum Batavo simul & Ternatensi confingeret, missò Goam P. Emmanuele Ribero, petierat ab Indiarum Prorege Hieronymo Azevedo militum Lusitanorum auxilia; namque idem tunc Rex Hispaniæ, & Lusitaniæ. Azevedus quatuor confestim illi dederat eximie magnitudinis naves, refertas omni bellico instrumento, & veterano milite, sub Præfecto Francisco Miranda rei navalis scientissimo: quæ vires si cum Hispanicis jungerentur, nulli erat dubium, quin Batavi tota Molucarum possessione depelli pos-

176.  
Ultima omnium  
deseritur Sun-  
diva per vim a  
barbaris occu-  
pata.

177.  
Revirescit in  
Molucis religio  
nostrorum labo-  
ribus, & indu-  
stria.

178.  
Batavorum  
adventu denuo  
concidit.

179.  
Hispanorum ir-  
riti conatus ad  
Molucas Insulas  
recuperandas.

160.  
Lusitani auxi-  
liares insignem  
victoriam refe-  
runt de Acenis.

181.  
Mox a Batavis  
profligantur.

182.  
Hispani Mo-  
lucarum impe-  
rium relinquunt  
Batavis.

183.  
RES PROVINCIÆ  
JAPONICÆ.  
Novus Impe-  
rator religioni  
Christianæ se-  
præbet insen-  
sum.

184.  
Noitri rem

possent. Sed celeritate opus erat, in qua fere semper aliquid commodi, sæpe rei summa versatur. Miranda autem Malacam delatus, prohibitus est aliquandiu adversitate ventorum ulterius progredi. Trahitur deinde in pugnam ab Acenorum Rege, qui ad expugnandam eam urbem veniebat cum classe navium ferè tercentum. Eminebant naves majoris formæ quinquaginta quinque, plenissimæ militum, & omnibus belli copiis instructæ. Atrox itaque conferitur prælium. Eo prælio barbarus amisisse dicitur majorum navium quadraginta, minorum fere centum, cum innumera hominum multitudine. Plenus quidem certè cladis & ignominie discessit. Sed caro stetit Lusitanis victoria, nec fere contingit, ut non etiam vincendo atterantur militum vires. Eduxerat in aciem Miranda, præter quatuor quas ipse ductabat naves, sex rostratas, & astuarias duodecim in portu Malaceni inventas. Ex illis prioribus una, nescio quo casu, conflagravit. Reliquarum alia deusta sunt, alia tormentorum fulminibus lacerata. Militum multi ceciderant in certamine, plures vulnerati fuerant. Quibus damnis reficiendis Malacam cum repeteret Miranda, & naves aliqua, quippe instrumento nautico spoliata, remulco ducerentur; ecce tibi repente apparent ex adverso octo bellicæ Batavorum, quarum congressus nec vitari, nec ulla cum spe sustineri poterat. Lusitani, quod unum circumspicientibus occurrit, naves applicant ad parvam Insulam, ne hostibus pateant, nisi a fronte. Impressionem Batavi faciunt, quam Lusitani in tanta virium inæqualitate non sustinentes, in littus se ejiunt, subiecto prius suis navibus igne, ne eas hostibus simul cum victoria relinquerent. Dum hæc agebantur, Joannes de Silva egressus ex Othoniensi Philippinarum portu, proras direxerat Malacam, ut se Mirandæ conjungeret. At vix ingressus fretum Aureæ Chersonesi, audit periisse classem Lusitanorum, Batavos victores intulisse hominum, & navium auxilia in Molucas. Concidit animo vir cæteroqui fortissimus, nec multo post, seu mœnore ejus cladis, seu alia quavis morbi causa contabescens, occubuit: quo destituti capite minores duces, classem, nulla re gesta, Manilam reduxere. Ita liberum Molucarum imperium Batavis relictum est. Nam & Ternatinam arcem Hispani, quam in tota provincia solam retinuerant, aliquanto post dimiserunt. Nunc autem ager ille, magni olim Xaverii laboribus & industria florentissimus, cultoribus destitutus omnino silvescit.

Sequitur post Malabaricam Provincia Japonica, extrema omnium quas in Asia Societas habet. Tempore de quo scribimus, præter regnum à quo nomen accepit, Sinam quoque, Cocincinam, & Tunkinum complectebatur; nondum enim Sina in proprium Vice-Provinciæ corpus erecta fuerat. Nos de singulis regionibus separatim agemus, ut locus & tempus poscet. Nunc Japoniam ingreditur historia, non tamen sine horrore quodam ac metu: tam atrox occurrit ærumnarum & suppliciorum facies, quibus religionem ac Societatem dirus Ethnicorum furor per triginta, qui sequuntur, annos laceravit. Et opportunè ingreditur eodem anno, qui novum Japonia Imperatorem dedit Xogunum, Daifusamæ improbi parentis pejorem filium, Japoniæ Neronem, quo nulla crudelior fera, nullum monstrum religioni exitialius. Paterna vitia Xogunus æmulabatur, aut superabat omnia, virtutes Patris, cujusmodicunque in Ethnico & crudeli Principe esse poterant, habebat nullas, & quanto regnandi artibus erat parente minor, tanto illum odio Christiani nominis anteibat. Educatus ab ipsis incunabulis in cœnobio Bonziorum, inde studium erga Deos inanes, odium erga Christianos hauserat. Pungebatur etiam molestis suspicionum aculeis contra Hispanos, quos sæpe audierat obtentu religionis Regno insidiari, & in omnem invadendæ Japoniæ occasionem imminere. Hoc velut cestro dies noctesque incitatus, perdere decrevit Sacerdotes & Religiosos omnes, nempe, ut putabat, consiliorum, quæ contra Japoniam struerentur, conscios, & administratos. Tamen à principio nihil gravius statuebat: quæ res, ut nonnullis fecit rerum meliorum spem, ita plerisque Evangelii Præcones ad opus strenuè peragendum erexit. Erant tum ibi Societatis operarii omnino tres supra triginta, qui totam ferè

ferè Japoniam diversis itineribus obeuntes, hoc ipso anno aduitorum mille & trecentos Christo adjunxerunt; pauciores illos quidem, quam solerent cum in tranquillo navigabatur, sed, ut erant tempora, satis multos. Non enim audebant jam publicos Christianorum conventus habere, sed clam domos singulorum lustrantes, operam ministerii sine strepitu circumferebant, ne præpostero ardore fructum præteriti laboris omnem momento perderent. Nam quamquam novus Imperator, aliis regni curis distentus, his indormire videretur, nimis tamen excubabat ad omnes motus, nec fidendum erat malaciæ subdola, ac fallaci, quam qualibet vel levissima rumoris aura turbare poterat. Serviendum itaque tempori existimabant, nec tam clamorosis ministeriis agendum, quam patientia, silentio, latebris; cum præsertim usu ipso constaret, his artibus satis belle, quamvis paulo lentius, procedere rem Christianam. Sic procella faviente, contrahit vela nauclerus prudens, obliquat sinus in ventum, ac tempestati parumper obsequitur. Aliter sentiebant alii fervidioris ingenii Religiosi, minimè probantes hanc rationem Christianæ rei gubernandæ, quam nostri ut certissimam, ac tutissimam sequebantur. Quousque, inquebant, lenti residetque latebimus? Non est Evangelica lux occultanda sub modio, sed in apertum, ut luceat omnibus, proferenda. Prædicandus palam Christus, aut si non licet, pro Christo moriendum. Sic illi magno animo, sed fortasse minus prudenti consilio, quod paulo post usus ostendit, Nondum tertius exierat mensis postquam Xogunus Imperii administrationem susceperat, cum efferatus eorum ardore ac libertate barbarus, priora Daifusamæ contra Christianos edicta, quæ jam tenuisse videbantur, instauravit, unde paulatim illata religioni pernicies.

Vulgatum fuerat in Mexico (nihil interest scire quibus auctoribus) sed certè vulgatum temerè fuerat, affuturam propediem ab Imperatore Japoniæ Legationem, cum mandatis pacificendi æquum foedus, & jus mutui commercii inter Japones & Hispanos, postulandique complures Christianæ legis doctores cujuscunque ordinis, modo ne essent de Societate. Hac fama commoti Franciscani quatuor & viginti, concessa properè navi, inde solvunt, & circa dimidium anni labentis Satzumam Japoniæ portum appellunt. Ad eorum adventum haud secus infremuit Tyrannus, quam si ad invadendam Japoniam centuriones & antesignani à Christianis missi adessent. Excludi portu navim iussit. Tum circummissis per omnes Japoniæ provincias litteris, Regulos & Præfectos admonuit, ne quem Christianorum in posterum undecunque venientem reciperent. Pœnam capitis proposuit, si quis Sacerdotem, aut religiosi ordinis cujuslibet alumnus tecto exciperet: qua poena comprehendi voluit patresfamilias vicinis decem adibus habitantes, nisi de hospitio religiosi præbito indicarent. Hoc tam atroci edicto, nequaquam animus aut fiducia Evangelii Præconibus cessit. Nostri tamen præteritis exemplis edocti, quantam afferret sæpe numero perniciem inconsultus pietatis ardor, insistebant pristinis latendi, & omnia cautius agitandi consiliis. Cum Europæos oris color, vultus, vox, incessus ipse proderet, in densa nemora, in speluncas, in depressum domus infimæ cavum interdiu retrusi, nocte concubia paulisper ad Neophytos juvandos emergebant, & opem quam licebat pio ferebant gregi. In urbe Nangasachiensi, ubi severiores exercebantur quæstiones, septem latebant Patres. Civitatem diviserant in certas regiones, easque singuli procurabant, anxii unice & solliciti, ne caris hospitibus exitium crearent. Alii contra Religiosi audacius rem gerere, quam cautius pergebant: prodire gestiebant in publicum, Principis edicta palam aspernabantur, nihil optantes avidius, quam gloriosam pro Christo mortem oppetere. Id ubi rescivit Imperator, minas, edicta, exploratores geminavit; adeo ut coacti demum fuerint ipsi quoque captare latebras sibi necessarias, & Christianis utiles. At dum omnia gerunt ardentius, & Christianorum animos ardore fidei succensos in eandem secum sententiam trahunt, Magistratuum sollicitudinem, & investigandi curam acuerunt. Hinc primæ cædes, hinc primæ sub Xoguno victimæ religionis. Deprehensus in Figeni regno Paulus Tarifuquius, cum liberè

T. I.

I

ac

Christianam  
sedulo admini-  
strant, caute  
tamen, & sine  
strepitu.

184.  
Aliorum Reli-  
giosorum servi-  
diora, & parum  
opportuna con-  
silia.

185.  
Atrox Impera-  
toris edictum  
contra Christia-  
nos, ejusque  
causa.

187.  
Quid nostri  
quid alii Re-  
ligiosi gesserint  
tam lævo tem-  
pore.

188.  
Paulus Taris-  
quius prima re-  
ligionis victima  
sub Xoguno Im-  
peratore

189.  
Religionis odio  
interficitur al-  
ter Christianus.  
Mira, ejus forti-  
tudo

190.  
Par constantia  
ejusdem juven-  
is in subeundo  
ob eandem cau-  
sam supplicio.

191.  
Multis cru-  
ciatibus tentatur  
Ludovicus qui-  
dam. Cujus-  
modi sit tor-  
mentum Arun-  
dinum.

192.  
Surungæ tor-  
mentum descri-  
bitur.

ac fidenter pro religione disereret, in vincula coniectus est. Hunc ut amici rescivere captum, fingunt conscriptam ab eo schedam, qua Christi fidem à se abjuratam testaretur, eamque offerunt Magistratui, qui Tarisquium eximit confestim vinculis: eundem tamen ad se perductum adscribere jubet in eadem scheda, ad quam ex pluribus Japoniæ sectis animum applicuisset. Sensit fraudem, & indignissimè tulit vir fortissimus. Schedam concepsit, neque atramento, inquit, sed sanguine meo me Christianum esse scribam, ac publice profitebor. Verba factis æquavit. Jussus mori, unam oravit rem, ut in crucem ageretur exemplo Christi: negante autem Centurione facultatem sibi esse mutandæ sententiæ, quæ cervices ipsi præcidendas pronunciabat, lætus collum securi subjecit. Par genere supplicii, & animi magnitudine fuit in regno Chicungi Martinus Sanguimotus. Cum nullis neque amicorum precibus, neque Præfecti minis ad ejurandam Christi fidem impelleretur, Præfectus expediri arundines jussit: tormenti genus, de quo infra dicemus. Sperabat improbus, intentato propius poenarum metu frangendum. Ille non animo, non vultu mutatus, ponere sua manu tunicas, corpus ultro offerre tortoribus. Abstulit tunc quidem ab eo violando Præfectus, credo reverentia generis, & cognationis splendidissimæ. Sed mox pergentem Christianorum instituta liberius exequi, denuo in custodiam detrusit cum conjugè, & liberis. Pari omnes alacritate arumnam ferebant, pari mortem opperiebantur. Sed post novem dies solus ad supplicium rapitur Martinus, cæteris demuntur vincula. Nihil sic animos spectatorum perculit, quam cum eodem pariter educti sunt carcere, atque à se invicem distracti. Uxor & liberi, non viri & parentis necem, sed vitam suam lugentes, omnia gemitu ploratuque complebant. Ille sicis oculis, & erecto vultu, supremum abeuntibus vale dicens, unam illis etiam atque etiam mandavit rem, ne Christo fidem aliquando fallerent. Tum progressus ad supplicii locum, mira constantia cervicem carnifici dedit. Tertiam hujus anni coronam tulit Firoximæ juvenis patria Voarensis. Hunc noverca à patris hereditate excludebat, ut filium ex se genitum intruderet, negans jus ullum, aut actionem ei convenire, qui esset professione Christianus. Interrogatus de religione juvenis, non solum id quod erat liberè confirmavit, verum etiam addidit, nullo se neque præmio, neque supplicio à Christi cultu depulsum iri. Cruci ob eam causam suffixus est, in qua dum adstrictus ferreis manicis pedicisque pendebat, confertissimam multitudinem admonuit, extra divinam Christi religionem viam nullam esse ad æternam felicitatem. Atque hæc locutus, lanceis per utrumque latus transversum immisis, illustre martyrium explevit.

Multo tamen plures fuerunt, quibus ad martyrium nihil defuit, præter beatæ mortis coronam. Ut de uno tantum dicam, ex quo capi de reliquis conjectura poterit, Cufani, qui regni Chicungensis est vicus, cruciatus ipsa prope morte acerbiores tulit Christianus nomine Ludovicus. Solam exorare non potuit mortem, ne finem suppliciorum inveniret. Eum primò ferox, & immittis Regulus arundinum tormento subjecit, quod est hujusmodi. Arundines per longum sectas funiculis contextunt in modum floreæ, sic tamen, ut cava calamorum in interiorem texti partem cadant. Homini deinde nudo circumdant illam quasi tegetem arundineam, prominentibus interne cannis horridam, adstriguntque quam possunt maxime, ut sic involuto vix copia sit animam recipiendi. In eo tamen vis tormenti præcipua, quod præcutæ arundinum acies, dum adductis funibus comprimuntur, scindunt, penetrantque corpus, & ex omni parte dilacerant. Maceratus est diu tam immani supplicio Ludovicus. Cum inde constantior fieret, Surungæ, ut loquuntur Japones, admovetur, de quo tormento ita comperio. Duobus tigillis imponitur transversa trabs: e trabe duplex funis demittitur, cujus extremis capitibus hominem ea poena puniendum alligant manibus, pedibusque. Circumagunt deinde, & rotare ex una parte non cessant, donec rudens intortus, seque magis ac magis in semet contrahens, ad summam usque trabem pendulum corpus attollat. Tunc omitunt illud naturali pon-

pondere deferendum in præcep̄s . Funem in spiras agglomeratum dum moles corporis deorsum ruens sua gravitate explicat, atque distendit, agitur in turbinem velocissimè, totque illas, ac tam vehementes conversiones sequuntur oculorum tenebræ, vertigo capitis, oppressio cordis, respirandi difficultas, aliæque acerbitates vix humanis viribus tolerandæ . Hunc Ludovicus cruciatum, intra unius horæ spatium, iterum ac tertio subire coactus est . Jacuit propterea semianimis; nec nisi longo post tempore, affusa vultui frigida, spiritum ac vocem recepit . Instant satellites ut sibi consulat, & nuncium Christo remittat . Abneganti Judex ferreas applicari fistulas jubet ad utrumque sinistri cruris latus, quas cum tortores quanta vi poterant comprimerent, concrepuit quasi diffractum os tibiæ, pedis malleoli parum absuit quin comminuerentur; nullam tamen vocem homine Christiano indignam dolor quamvis acerrimus expressit . Ferocior inusitata ac nova constantia Judex, eam frangere atrociori cruciatu parat . Ex eo genere calamorum, unde apud Japones confici sagittæ solent, unum tortores deligunt intus vacuum, qui partem extremam habebat in orbem cuspidatim incisam . Hunc dextro ejus femori infigunt instar terebræ, vi multa versantes, atque intra carnem immergentes . Quantum os calami ex carne circumsecta momorderat, tantum in vacuum subibat arundinem . Cum ad certam altitudinem ventum erat, educeretur calamus carne oppletus tamquam medulla, qua festucis extracta, denuo per idem foramen arundinem impellebant, fodiebantque altius in eodem vulnere, ac semper recentem doloris acerbissimi sensum excitabant . Terebrato in hunc modum Ludovici utroque femore, tormentum fistularum, quod antea descripsi, a lava tibia in dexteram translatum est . Sed cum nibilo fecius perstaret in sententia Christi pugil invictus, tandem, sive amicorum interventu, sive desperatione vincendi quem talia non vicerant, dimissus est . Tam inauditis favere cruciatibus cogebantur Japoniæ Magistratus, ut Christianorum ardorem, & illam quasi famem tormentorum avidam aut fatiarent, aut opprimerent . Sed de his in decursu annalium multo uberior nobis sermo redibit .

Dum his calamitatibus in Japonia Christiani conflictabantur, læta admodum erat rerum facies in Sina . Ex quindecim ejus Imperii Provinciis, quinas occupabat fixis stationibus Societas, Pekinensem, Chekianensem, Chiamianam, Nankinensem, & Cantonensem . Sociorum numerus ad viginti omnino, Europæi tredecim, hique omnes Presbyteri, septem reliqui Sinenses, & domesticis ministeriis addicti, sed iidem ob materni sermonis peritiam, magno Patribus usui ad docendum . Alebant præterea nostri apud se delectos ex juventute plures Societatis candidatos, si se satis probassent, suo tempore recipiendos . Ipsi, obtrita penitus, quæ vix unquam minuenda videbatur, invidia peregrinitatis, minimè prohibebantur versari luce palam in Sina, ex una in aliam Provinciam discurrere, Neophytos ad religionis officia cogere, Christianam ubique rem promovere : quod tamen cautè præstabant, satis gnari, (quod olim Matthæus Riccius, missionis Sinicæ primus fundator & parens, admonere solebat) religionem inter Sinenses sine fragore ac strepitu administrandam esse, alliciendos peregrinæ scientiæ veluti hamo litteratos, adhibendam ubique moderationem, & legendum, ut in procelloso mari, littus; sic enim aptum esse ad gentis indolem superbam, fastidiosam, ab advenis non secus quam ab hostibus abhorre solitam, domesticarum autem legum & consuetudinem tenacissimam . His nostri consiliis sanctè insistentes, irrepsert paulatim in animos litteratorum, quorum est ibi natio florentissima, expetebantur passim à doctioribus Mandarinis, & de naturalibus disciplinis differentes audiebantur aviditate incredibili: quem illi sermonem sensim ad arcana fidei dessectentes, hominibus suoapte ingenio ab idolorum cultu alienis facile persuadebant, ut in Christi jura concederent . Hinc jam Mandarini Christiani plures, iidem Patrum amici, & fautores eximii . Eminentebant inter ceteros auctoritate & potentia duo sæpe nobis in hac historia, cum laude nominandi, Paulus, & Leo; viri quippe singulari doctrina, in ipsa

To. I.

I 2

aula

193.  
Alios atrociores  
cruciatu vincit  
Ludovici fortitudo  
incredibilis .

194.  
RES SINICÆ .  
Status Societatis,  
& religionis progressus .

195.  
Plures Mandarini  
Christiani  
& tuentur fidem .

aula prævalidi, & ad omnes religionis casus semper intenti. Demum ut in placido ac tranquillo mari, secundissima navigatione utebantur Patres, & spirantibus à puppi ventis vela paulo liberius explicabant: cum mota repente est adversa aura, quæ rerum cursum non nihil retardavit.

196.  
Turbantur res Pekini ob falsam de nostris opinionem.

Irrepsentant haud ita pridem ex occidente in Sinam Bonzii nescio qui scelerati, qui sacras Christianorum caremonias, imo virtutes, & pietatis opera externè imitantes, charitatis & pœnitentiæ speciem immanibus flagitiis obtendebant. Credulæ plebi imposuerant hætenus congerrones impii. sed deprehensum demum Pekini clandestinos agitare cœtus, & veneficorum execrandis sacris operari, moverunt rituum Præfectos, ut detraherent improbitati larvam, & exoticam superstitionem publico edicto proscriberent. Edictum in dedecus & perniciem Christiani nominis redundavit. Inde enim apud multos orta suspicio, ne quid pariter sceleris cultores Christi simulatione virtutis tegerent. Utque sancitum lege fuerat, nullo inter maleficos illos, Christianosque discrimine, ne cuiuscunque sectæ hominibus unum in locum convenire liceret, ob eam rem sacræ Christianorum ædes solitudine, ac tristi divinorum officiorum vacatione aliquandiu damnatæ fuerunt. Itaque Patres Pekinenses Didacus Pantoja, & Sabatinus de Ursis, haud plures hoc anno Neophytos Christo dederunt, quam viginti. Cujus paucitatis illud etiam fuit in causa, quod Patres usu edocti, Christianam legem inter Sinas multo facilius suscipi, quam impleri, non omnibus petitoribus fidei sacramentum committebant, sed iis tantum, qui facti periculo, viderentur divinam professionem vita & moribus impleturi. Nam sanctitatem quidem Christianæ legis probabant omnes: at ejus præcepta aliqui graviora existimabant, quam ferri à se possent. Erant non adeo pauci, qui in cæteris consentientes, cum deinde jubebantur plures secundi ordinis uxores, non solum excludere, sed etiam tecto, id enimvero indignum, & inhumanum ajebant esse. Est quippe feminis magno apud Sinenses probro, si à viris abjiciantur, quod nunquam fit, nisi deprehensis in flagitio; earum autem dedecus manat in filios, qui matre ejecta, pro nothis habentur. Pollicebantur propterea multi, se quas antea uxorum loco habuissent, non alio deinceps habituros officio, quam ancillarum, modo ne cogèrentur eas à se dimittere. Sed neque id tolerabile videbatur Patribus. Metuebant scilicet, nec immerito, ne videntes Ethnici eundem uti prius feminarum numerum apud Neophytos, eodem esse illas crederent loco, quo fuissent ante baptismum, ac perinde offenderentur. Cum ergo nulla suppeteret ad amoliendum hunc fidei obicem certatio, pauciores jam, nec sine exquisito delectu ad baptismum admittebantur.

197.  
Pauci ad baptismum admittuntur ob difficultatem Monogamiz.

Sed Neophytorum non tam numerus in pretio erat, quam pietas. Nankini, quæ altera est post Pekinum civitas Imperii princeps, pusillum Christi gregem ita educabat P. Alphonsus Vagnonus, ut speciem quamdam referret primavæ illius, quæ sub Apostolis fuit, Ecclesiæ. Dicit vix potest, quo animi ardore officia religionis obirent novi Christiani, cum privatim apud se, tum communiter in sacris locis. Incurrebat præsertim in omnium oculos eorum, charitas, & benefaciendi studium. Sibi mutuo præsto erant omnes, & quidem sic, ut esse quoddam inter eos videretur certamen benevolentia, cujus expertem esse patiebantur neminem. Pauperibus, & ægrotis omnia largè suppeditabant. Opifices ipsi, ac tabernarii labore manuum victitare soliti, partem de mercede diurni operis pauperioribus seponebant. Quibus deerat argentum, opera juvabant ægros, assidebantque illis noctu & interdiu non minore cura, quam si suos quisque parentes, aut liberos, aut germanos fratres curarent. Spectabatur præ cunctis Jacobus quidam, qui ne ab his charitatis officiis abstraheretur, matrimonio jungi noluerat. Vir tenuioris cateroqui fortunæ, sua omnia pauperibus ægrotisque largiebatur. Monentibus autem amicis, si ita pergeret, mox ad ultimam egestatem redactum iri, negabat id futurum aliquando: & nihilominus, si ita factum esset, tunc enim vero, ajebat, fore se beatissimum; esse enim Christianis repositas apud Deum opes, terrenis istis & fluxis multo præ-

198.  
Neophytorum Nankinensium charitas, & pietatis ardor admirabilis.

præstantiores, ac nunquam interituras. Eodem spiritu imbuebantur à P. Lazaro Cataneo Hamceani. Caput est Hamceum Provinciae Chekianensis. Numerabantur ibi Christiani ferè quingenti, quorum dignitate, opibus, & religionis studio facilè primus Michael Mandarinus. Is præter alia præclara merita, initium Hamceanae stationi fecerat are suo, & domicilium nostris conduxerat. At homo eximiè pius angebatur plurimum, cum tam multi civium ad Christum quotidie transfrent, non idem facere etiam uxorem suam, feminam pervicacissimam, & idolis perditè mancipatam. Quod diu summis, at irritis votis optaverat, obtinuit denique unde minime putandum erat. Anceps internè erat de religione mulier, ambigebatque quam sibi amplectendam putaret. Consuluit sua numina. Responsum est (utique Dei nutu, cui etiam stygii dæmones famulantur,) bene ac præclare facturam, si abdicata veteri superstitione, eodem quo vir itinere graderetur: quo responso permota, confestim Christianis adjungi voluit cum liberis, ac toto domestico Gynæceo. Ob eam rem Michaelis diuturnus mœror incredibili gaudio est commutatus. Gestiebat lætitia, vix sui compos videbatur. Pro gratiarum actione, sive, ut alii malunt, voti solvendi causa, coemit præsentem pecunia, quas prius tantum conduxerat in usum nostrorum aedes, easque Societati mancipio dedit. Sacellum amplificavit, ornavitque. Demum, quod magis est, cum jam pridem docendi munus, quod apud Sinas obiri vel à Proceribus solet, deposuisset, illud recepit denuo, ut simul cum Sinicis litteris instillare adolescentibus doctrinam Christi posset: quo suo consilio quantum profuerit rei Christianæ, vix credibile. Veritatem profecto teneris illis mentibus, non solum exquisita dicendi vis, sed etiam dicentis auctoritas persuadebant. Addunt, ejusdem voce, & imperio ipsos interdum Dæmones fuisse coactos de idolorum vanitate confiteri, idque ita factum narrant. Frequens est apud Sinas interrogare de occultis rebus Magos, quorum est propterea maximè quaesiosa professio. Responso præstigiatores impii dum exquirunt à dæmone, penicillum magicum, scriptorio atramento imbutum, tenui filo suspendunt supra papyrum. Circumstat tacitus spectatorum globus intentis oculis, atque animis. Magi nescio quid inconditum murmurant. Sub hæc nutare paulatim incipit motus occulta vi penicillus, & in subjecta charta descriptas relinquit ambigui sensus litteras, quas Magi ut divina oracula interpretantur. Sic ibi, Deo permittente, Dæmon cultoribus illudit suis. Jam ergo ingressus forte Michael, ubi frequens hominum corona his nugis operabatur, sublata ad frontem dextera, signavit se cruce, ac momento eodem penicillus, qui litteras exarare coeperat, immotus restitit. Perculis rei novitate cæteris, accessit propius Michael, ac dæmonem libera compellans voce: *Quid cessas*, inquit, *nequissimo? Age: Scribe mihi nunc, quid sit idololatria*. Mirum dictu! Moveri iterum penicillus, donec in subjecta papyro Sinensibus depictæ sunt litteris istæ voces *Vanitas, & mendacium*. Testimonium illustre veritatis, quo adstantium multi ab errore retracti fuerunt.

Interim P. Joannes Rocha, qui ante aliquot annos amplificandæ religioni feliciter allaborabat Nanciani in Provincia Chiamsiensi, novam Christianorum coloniam erexit Cenchiiani, quæ urbs est in eadem Provincia nobilis, & si non magnitudine, soli tamen amanitate, ac feracitate cæteris præstans; eo autem de quo scribimus tempore, opibus, populo, voluptatibus, & vitiis inter paucissimas abundabat. Ex ea mercator opulentus, & senex, profectus erat negotii nescio cujus causa Nancianum. Subiit illum cupido visendi Patres, homines videlicet ex ultimo delatos orbe, ut reversus in patriam de iis narrare, ac peregrinis moribus describendis percunctantes amicos oblectare posset. Sed primo congressu, auditis quæ Patres de uno Deo & vero, de poenis æternis ac præmiis differebant, adeo rerum novitate ac magnitudine percussus est, ut erudiri maluerit, quam negotiis, quorum causa venerat, operam dare. Eruditus aptè, baptismum, & Bartholomæi nomen accepit, rediitque Cenchiianum. Hic de doctrina Christi, ejusque Præconibus mira prædicare, ac uere omnium cupi-

199.  
Præclara merita, & singularis pietas Mandarinus Michaelis in urbe Hamcei.

200.  
Vanitas Idolorum ipso Dæmonum testimonio comprobatur.

201.  
Initium novæ Christianorum colonie Cenchiiani in Provincia Chiamsiensi.

ditatem, ut ejusdem boni participes esse vellent. Movit senis oratio plurimos. Excurrerant subinde bini, ternique, interdum plures Nancianum ad Patres: omnes post mensem Christiani redibant. Collectus erat hoc modo numerus Neophytorum non exiguus Cenchiiani, sed qui rem sacram apud eos faceret, erat nullus. Præterea de tota ratione religiosi cultus non sic fuerant edocti, ut moderatore non indigerent. Id illi reputantes, Nancianum legationem miserunt, Rocham ut ad se paulisper excurreret, rogaverunt. Advolavit Sacerdos, comite ex domesticis adjutoribus Paschale Mendezio. Exceptus incredibili gaudio ab affulsis obviam Neophytis, ad paratum hospitium deducitur. Postridie, qui erat dies SS. Simoni & Judæ sacer, adesse pusillum gregem jubet, sacris operatur, duos quos nominavi Apostolos nascentis Ecclesiæ patronos dicit. Cum nec ipse, nec Mendezius instituendis omnibus, qui ad cœlestem doctrinam audiendam concurrebant, par esset, delegit ex Neophytis probatiores quosdam, à quibus Ethnici prima elementa condicerent. Intra mensem parati ad baptismum erant centum viginti, magnam partem Mandarinum, & litterati. Omnes eodem die cum insigni apparatu abluti sunt: omen felix, & pignus futurae messis; quæ proventu non minus celeri, quam læto succrevit. Quis jam Neophytorum pietatem explicet satis? Inanium deorum statuas provolvebant in luto palam, argenteas aureasve, subjectis ligneis, comburebant, ac liquabant.

202.  
Audax adolescentis Christiani facinus contra statuas falsorum numinum.

203.  
Tumultus inde ortus ejusdem adolescentis oratione comprimitur.

204.  
Bonzii libellos maledicos spargunt, sed nullo effectu.

205.  
Nostrorum labor Nankium prope inutilis.

Enituit in primis ardor egregii adolescentis, cui Paulo nomen. Fanum erat prope paternam ipsius domum, recens à Bonziis ædificatum ad placandos nocturnos Lemures, quibus tota circum vicinia vexabatur. Ædem eximiam apud populum religionis impii Sacrificuli magno idolorum numero repleverant. In eam venit Paulus nocte concubia cum ardenti face, omnesque circumiens falsorum Numinum formas, primo singulis ad ludibrium os adussit, tum dejectas ex basibus confregit, postremò relictis humi truncis malè multatis, abscissa capita in culinam transtulit ad alendum ignem. Fœda tot Deorum strages, ut illuxit, immane quam vehementer populum, & maxime Sacerdotes commoverit. Putabant plerique stragis auctores fuisse Patres, nec ferre modestè poterant, duos paucorum dierum hospites tantum nefas in aliena terra ausos esse. Concursum ad eos undique, cum ingenti indignatione & fremitu. Turba seditionis in modum hospitii nostri januam obsidebat, cum egreditur ad illam Paulus, & silentium manu poscens, profitetur, nihil esse quod de everis confractisque idolis crimen inferant Patribus, qui ejus rei nec conscii fuissent: culpam, si quam in eo factò fuisse existimarent, in se uno residere, qui signa muta, & inanima non tulisset dignari cultu, qui uni summo Deo ac vero deberetur. Tum dicere exorsus de vanitate simulacrorum, tam aptè disertèque locutus est, ut qui audierunt, posità ferocia, alii aliò nihil ultra moventes abcesserint. Ita demum audax adolescentis consilium, Deo gubernante, non infeliciter cessit; utque appareret, illud in cœlo ratum fuisse habitum, exinde Pauli ipsius domus ab omni Lemurum molestia est liberata. Urebantur hæc videntes Bonzii: stetit tamen aliquandiu furor inter metum iramque velut restrictus. Dolebant contempta Numina, & se ipsos magis; sed male sibi metuentes à tot Proceribus Christianis, gravius quidquam inceptare non audebant. Apparuerunt denique in compitis probrosa in divinam legem scripta, mala carmina, infames satyræ, quibus traducebantur indignissimè Patres; Sinenses vero peregrinis religionibus impliciti in suspicionem vocabantur conjurationis initæ, ad patriam externo imperio subjiciendam. Refixa statim sunt a Neophytis scripta maledica, & contrariis scriptis tam perspicuè refutata, ut dempta sit Bonziis audacia amplius obloquendi. Atque ubi pacata omnia Cenchiiani vidit Rocha, in stationem suam Nancianensem se recepit.

Longè diversa utebantur fortuna Patres Gaspar Ferreira, & Emmanuel Diaz Nankium, in finibus Provinciæ Cantonienfis. Stationem ibi fixerant ante triennium, non sine magna rerum bene gerendarum spe. Erat enim oppidum ob situm opportunitatem mercimoniis frequens, plenumque advenarum, quos illuc

illuc ex diversis provinciis ratio mercaturæ contraxerat. Cives adeo non, sicut reliqui Cantonienfes, inhumani, ac semibarbari, ut potius naturali indolis bonitate viderentur ad Evangelicam disciplinam, si ita loqui fas est, nati factique. Commune illis studium bene merendi de omnibus, cavendique ne quid, non modo in quemquam injustè, sed nec turpiter in semetipfos, & intemperanter admitterent. Homines itaque ipso quasi naturæ habitu ad virtutem proxi, minimè dubitandum videbatur, quin agnoscerent sanctitatem Christianæ legis, & cognitam amplecterentur. Sed hic quoque, ut sæpe alibi, videre licuit, coeleste donum esse divinam fidem, nihilque in humanis rebus esse praesidii, nisi superna virtus aspiret. Toto triennio Nankiumi duo egregii divinæ legis magistri vix centum homines Christo subjecerunt, quorum ferme viginti pertinent ad hunc annum, cuius acta persequimur. Quodque magis mirere, ille ipse habitus animorum, unde Patres fiduciam sumpserant, plerisque impedimento fuit, ne oblatum beneficium reciperent. Pervaserat illuc ex India commentum vetus Gymnosophistarum de transitu animarum in alia corpora, in quibus aliter post mortem vivant. Hunc miseri errorem tam altè in pectus demiserant, ut contraria suadentibus nec aures darent. Atque ut interesse plurimum existimabant, qualiter in hac vita se gessissent; inde enim obyenturum sibi corpus nobilius, aut vilius: sic vana illa spe corporis melioris, & vitæ beatioris, studebant innocenter vivere, atque omnibus bene facere. Ea tamen felicitate quam sibi ipsi pollicebantur contenti, oblatam a nostris contumaciter respuebant. Adeo qui videntur levius errare, errorem dediscunt ægrius: qui autem de falsa virtute sibi placent, eos ad veram trahere difficillimum. Ejusmodi præjudicii occupati non erant advenæ, convenaque; sed non propterea, plus aliquid apud eos profectum. Homines scilicet mercimoniis unice dediti, & curis augendæ rei distracti, de statu vitæ futuræ perparum, aut nihil laborabant, ex æquo repellentes nostrorum, & indigenarum doctrinam. Quare deliberabant Patres, an non expediret deferere solum divinæ sementi contumax, & apostolicos labores aliò transferre. Sed dimitti non debuit illa sedes, ne Sociis Sinenfibus communicatio cum Macaensibus, quæ per Nankiumum erat commodissima, abrumperetur. Sed è Sina gradum faciamus in Cocincinam.

De Cocincinæ situ, natura, moribus, de Incolarum publica re, ac privata, dictum est fusè in quinta parte. Regnum hoc ingressus anno superiore Pater Franciscus Buzomius, populo bene docili, & ad excipiendos Evangelii satus optime comparato utebatur. Anno uno erecta fuerant supremo Numini duo templa, quæ non minori Christianorum pietate, quam numero celebrabantur. Frigebant idolorum fana, cultusque multis in locis jacebat. Ægerrimè tulerant hætenus, sed tamen silentio tulerant, profani Sacerdotes (Onsajos vocant) templorum suorum solitudinem, contempta numina, se deridiculo habitos. Angebantur etiam egestatis metu, si ad sacras Christianorum aedes tota plebis liberalitas derivaretur. Ne tamen in apertam ultionem, & odia manifesta prorumperent, obstabat Regius in nostros favor. Nostros inquam; nam Buzomio comes accesserat P. Franciscus Pina cum duobus rei domestica curatoribus, hosque omnes Rex perhumaniter & amicè habebat. Sed compressus diu furor erupit aliquando. Via brevior ad Patres evertendos visa, si populus, cui etiam Reges interdum coguntur cedere, in eos commoveretur. Juvit improborum consilia sterilitas anni, ac difficultas annonæ. Cocincinam exundantes certis mensibus fluvii, ut Ægyptum Nilus, fecundare solent. Hinc arborum pingui uligine stagnantium ubertas, hinc tota spes messis. Nullus hoc anno imber deciderat, flumina arentes campos malignè, ac parcè rigaverant; adeo ut certa toti regno fames immineret. Arripiunt occasionem idolorum Sacrificuli, poenam hanc esse conclamant ab iratis profectam Diis, quorum deserta essent templa, cultus neglectus. Piandum scelus eorum vel exilio, vel nece, qui religionem peregrinam invexerint; neque enim coelestium irarum finem prius fore, quam illi exterminati penitus fuerint. His sermonibus inflammata plebs ad regiam concurret, Patrum

exi-

206.  
Cur Nankiu-  
mensis verita-  
tem Christianæ  
religionis repe-  
lerent.

207.  
Status rerum in  
Cocincina, &  
religionis primi  
progressus.

208.  
Sacerdotes ido-  
lorum seditio-  
nem, commo-  
vent contra So-  
cietatem. Unde  
sumpta sit occa-  
sio.

209.  
Indicitur nostris  
exilium. Eo-  
rum graves ar-  
mae hoc tem-  
pore.

210.  
Cujusdam Bon-  
zii falsum mira-  
culum, verum  
scelus, & iusta  
poena.

211.  
RES PHILIPPINARUM.  
Status Societa-  
tis in illis Insu-  
lis.

exilium infano clamore deposcit. Quidam arma quatientes, & Tunkinum pro-  
caciter appellantes, defectionem minantur, si Rex pergat damnosis hospitibus  
patrocinari. Rex, qui propter Tunkini propinquitatem precario magis quam  
justo imperio dominabatur, fatis gnarus quid Sacerdotum suorum ira, quid po-  
puli furor posset, Patres ad se vocat, & excusata temporum necessitate, rogat  
ut abesse tantisper velint: brevi revocandos promittit. Quid facerent? Pericu-  
losum erat obsistere, obtemperare necessarium. Consensa igitur navi, in exi-  
lium proficiscuntur. Sed vix inde solverant, cum coorta ex adverso ventorum  
vis eos impulit ad eandem oram. Cum excluderentur urbe, in proximam solitu-  
dinem secessere, ubi inter carecta & paludes abditi, rerum omnium inopia,  
pressi, vitam ærumnosissimam aliquandiu duxere. Buzomius, propter æstuosi  
coeli gravitatem, & soli putris ac lacunosi noxios vapores, acri tentatus mor-  
bo, in ultimum vitæ discrimen venit; neque tamen ullis impetrari precibus  
potuit, ut in urbem vicinam deportaretur. Bacchabatur interim in nostras aedes  
populi furor, nec ipsis temperasset Patribus, quantumvis extra urbem degenti-  
bus, ac prope nudis, nisi ad eorum incolumitatem excubans Christianorum,  
fida custodia, vini impiam arcuisset. Concitata multitudinis odium auxit ficti  
miraculi species ex eorum genere, quibus sæpe Deus mortales poenam com-  
meritos in errorem induci patitur. Eminebat inter Bonzios nequissimus vetera-  
tor, ex austeritate vitæ, nemorumque latebris, famam sanctitatis maximam  
consecutus. Non efferebat e sua solitudine pedem, nisi onustus ferreis catenis.  
Tetro vultu, macilento, cadaveroso, pietatem meram spirabat. Semper ruinas  
& exitia lamentabili voce denunciabat: quæ quidem familiari, & arcano cum  
superis colloquio rescire se mentiebat. Et erat ei sanè magna cum tenebra-  
rum principibus familiaritas, ut vel maxime ex eventu, quem habemus præ-  
manibus, patuit. Homo vanus, adductus in spem augendæ vehementer famæ,  
si ope tartarea pluviam extorquere cælo pertinaci posset; ita se facturum palam  
edixit. Comitante igitur populo innumerabili, scandit montem, & magicas  
preces inidmurmurat. Obductum illico est coelum nubibus, & aliquantulum im-  
bris depluit. Parum id quidem erat ad explendam arborum sitim, sed ad fa-  
mam Præstigiatoris augendam fatis. Omnes divinum hominem prædicant, ve-  
stes osculantur, lambunt vestigia, ipsum denique triumphantis ritu in urbem,  
atque adeo in regiam inducunt. Simul invehi in Christianos petulanter Onfai,  
exprobrare ipsis imbecillitatem sui Dei, quem tamen cæli Deum ac Dominum  
dicerent. Non surdis auribus hæc opprobria Deus accepit, nec diu passus est  
illusos homines in errore versari. Dum oblitus latibuli sui nebulo moratur in  
regia, dum alitur splendide ac basilicè, adjecit oculos ad unam de Reginis, ei-  
que stuprum intulit. Cognito scelere, in jus rapitur, & humo vivus infoditur  
ut flagitiosus & nequam, qui modò erat sanctitatis opinione inelytus, & hono-  
res divinis proximos affectabat. Valuit ea res plurimum ad consternandos Bon-  
zios, recreandamque Christianam rem afflictam prorsus ac perditam. Alia post  
paulo contigere, quibus in statum pristinum erecta est: sed ea nos rejicimus in  
annum proximum.

Infra Sinas, inter circulum æquinoctialem, & tropicum Cancræ, jacent  
Insulæ Philippinæ, latus ad excolendum ager, & una e septem provinciis, quas  
in India Hispanæ ditionis Societas censet. Sex habebamus hoc tempore majores  
domos in Philippinis: minora domicilia, seu residentias, ut loquimur, fi-  
xas omnino decem, præter varias huc illuc errantes Missiones. Ad majora do-  
micilia pertinebant Collegia Manilanum, Zebuanum, Arevalense, & Cavi-  
tense: tum seminarium Hispanæ juventutis Manilæ conditum, & Probatio-  
nis domus. Ex residentijs duæ apud Tagalas erant in Luzonia: reliquæ inter  
Bissayas, divisa per tres majores insulas, Samarim, Leitem, & Boholim. Ac-  
cesserat anno superiore Curia S. Michaelis in suburbio Manilensi, cui aggrega-  
ti sunt plerique Japonum Religionis causa exulantium in illis insulis. Fuerat  
jampridem apud nos longa deliberatio, utrum in Philippinis Societas Curiarum  
pro-



asperrari, nisi qui præcavet. Magus interim, ubi animos rebellionis facibus inca-  
 luisse videt, vocata concione: „ Quousque, exclamat, quousque cives, ignota &  
 „ peregrina gens abutetur patientia nostra? Quamdiu Hispanis servire Christianisque  
 „ non pudebit? Nobis regionem & urbes nostras, nobis avita sacra, Deosque patrios  
 „ eripuerunt. Nunc, nunc tempus est indignum excutere jugum: nunc in liberta-  
 „ tis pristina possessionem redeundum. Ducem me vobis præclari facinoris, aucto-  
 „ remque do: præeuntem sequimini. Libertas, gloria, felicitas, belli fructus &  
 „ merces erunt. Si quis in hoc foedus nomen dare suum recusabit, æterno per  
 „ me maclabitur infortunio. Qui vero fortiter in acie ceciderint, eos ego post  
 „ dies septem ad vitam revocabo. Ite mecum: urite hostiles agros, testa diruite,  
 „ templa, altaria, monumenta omnia, & vestigia peregrinae religionis evertite. „  
 Ajunt, cum hæc diceret magus, idolum, Deo sic permittente, visum nuu  
 capitis eadem confirmare. Hac ergo oratione incensû, conspirant Tepeguani in  
 dirum foedus, diemque exequendo impio facinori constituunt XI. Cal. Decem-  
 bres, qui præsentata in templo Deiparæ sacer est. Magna eo die offerebatur  
 barbaris opportunitas ad direptionem, & prædam. Proponenda siquidem publi-  
 cæ venerationi erat in oppido S. Ignatii pulcherrima Divinæ Matris effigies al-  
 lata Mexico, perque vias publicè circumvehenda cum solemnî supplicantium,  
 Hispanorum agmine, qui ad celebritatem fuerant è suis coloniis invitati. Quod  
 nisi rebelles conductam diem prævertissent, actum erat de Hispanis, & omnino  
 de re Christiana. Milites quidem certe supplicationi intentos, & inermes, op-  
 primere nullo negotio poterant barbari: Guadianam etiam, arcem eorum cervi-  
 cibus recens impositam, sed prædiariis per idem tempus vacuam, occupare  
 facillimum erat. Sed ordinem gerendæ rei paucorum avaritia turbavit.

216.  
 Tepeguani con-  
 spirant de ma-  
 clandis uno die  
 nostris, & Hi-  
 spanis omnibus.

217.  
 Conjurati  
 diem constitua-  
 tum prævertunt,  
 & cladem in-  
 choant à P. Fer-  
 dinando de To-  
 var.

218.  
 Barbarorum  
 crudelitas contra  
 alios plurimos.

219.  
 PP. Bernardus  
 de Cisneros, &  
 Didacus de O-  
 rosco cum aliis  
 multis crudeli-  
 ter interempti.

Dies erat XVI. Cal. Decembris, cum unus Hispanorum militum, vehicula  
 nescio quæ plena cibariis deducens ad prædiarios proximæ stationis, divertit in  
 pagum S. Catharinæ. Vehicula ut viderunt pagani, illecti præda, ad ea diri-  
 pienda consurgunt, agglomerant sese, & intentis armis ruunt. Ad primos ir-  
 ruentium clamores admisit equum miles, & celeri fuga se proripuit. Militi co-  
 mitem se adjunxerat P. Ferdinandus de Tovar Mexicum petens, nihilque adversi  
 suspicans. Hunc eminus conspicati sicarii, provolant turmatim, inermem feroci-  
 ter invadunt, jumento detrahunt, ac demum lanceis confodiunt, illud voci-  
 ferantes: Jam non audiemus ex te puerilem, quam nobis occinere solebas can-  
 tilenam: *Pater noster qui es in cælis: Ave Maria gratia plena*. Hinc, ut in-  
 aperta seditione, cursare huc illuc furentium more, Hispanos ad eadem quæ-  
 rere. Convenerant in unum Hispani ferè ducenti, pars maxima femina, pue-  
 rique, & grex servitorum. Omnes a turba oppressi, incensis in quas se inclu-  
 serant ædibus, aut ferro, aut igne consumpti sunt. Cum his cecidit venerandæ  
 memoriæ vir Petrus Guttierrez ex ordine Franciscano Sacerdos, quem barbari  
 egressum cum signo Christi crucifixi, & de pace dicere incipientem, sagitta  
 confixerunt. Pago S. Catharinæ proximus erat vicus S. Jacobi, Papazuari  
 dictus, ubi Patres Bernardus de Cisneros, & Didacus de Orosco rem Chri-  
 stianam curabant. Illi certiores de nefaria conjuratione facti, continuò Hispa-  
 nos, & si qui ex Indis fidi restabant, in templum colligunt, in quo primos  
 furentium impetus sustinere tantisper, ac remorari possent. Adsunt perduelles,  
 templum obsidione cingunt. Ac primò quidem saxi, telisque parietes frustra  
 quatiebant. Sed deinde, injectis facibus, eas in angustias adduxerunt inclusos,  
 ut facienda deditio fuerit. Facta est in eas leges, ut obsessi positis armis disce-  
 derent tuti, & incolumes, reciperentque se aliò. Prodiere itaque quicumque  
 erant in templo, capita amplius centum, agmine in speciem supplicantium  
 composito, ut objecta religionis species barbarorum animos ad reverentiam fle-  
 cteret. Præibat P. Didacus de Orosco, sacrosanctam Eucharistiam gestans. Pa-  
 ter Bernardus de Cisneros sublimem ferebat imaginem B. Virginis affabre pi-  
 ctam in tabula. Perduelles novo pioque percussû spectaculo, positus humi genibus,  
 hæserunt initio quasi venerabundî, ac procedentem pompam taciti contueban-  
 tur.

tur. Animum sumpsit P. Didacus. Constitit parumper, & pauca pro re dicere aggressus, seditiosos hortabatur ad retinendam quam se magistro suscepissent fidem, graves denunciando ab ultore Deo, quem presentem cernerent, poenas, si quo casu deficerent. Hic illi, quasi ex condicto, simulatam pietatis personam exuere momento visi. Mentiri ipsum clamitant. Deum Christianorum nequaquam suum esse Deum. Alios sibi Deos, & presentiores, melioresque esse. Nec plura. Eripiunt Sacerdoti de manibus sacram pixidem, divinam Hostiam spargunt humi, & proculcant, B. Virginis imaginem discerpunt, totum denique agmen crudeliter contrucidant. Ex duobus Patribus Bernardum de Cisneros clava in caput impacta necaverunt. Didacum de Oroseo humi dejectum huc illicque raptarunt aliquandiu, donec supinum, & divaricatis jacentem cruribus brachiisque, unus securi medium dissectuit. Tot inter carnificinas vir mansuetissimus tortores ita compellabat: *Agite ut lubet, filii. Nihil tam durum accidere mihi a vobis potest, quod vestra, Christi que causa non feram libenter.*

Barbari post hæc fuso sanguine ferociore, è vico S. Jacobi procurunt ad pagum S. Ignatii, ubi parabatur, ut supra docuimus, solemnem pompam ad imaginem B. Virginis circumferendam. Patres Joannes à Valle, & Ludovicus de Alabes, quibus imposita pagi cura, rerum omnium quæ gerebantur ignari, nihilque hostile metuentes, ædem sacram ornabant. Aderant Hispani, servulique circiter octoginta: cum irruit in eos perduellium cohors adeo ex improviso, ut nec defensionis, nec fugæ parandæ spatium fuerit. Ut erant imparati & inermes omnes, ex clade nemo supervixit, præter unum adolescentem, qui sicarios tot cadibus distentos fessellit. Simul sanctissima religionis monumenta, prostrata, ac comminuta sunt. Dum hæc ibi geruntur, P. Joannes à Fonte, & P. Hieronymus de Moranta, invitati ad celebrandum in eodem pago diem Beatæ Virginis festum, illuc è suis sedibus properabant. Aberant jam mille duntaxat passibus, nec tamen de feræ tragœdia, quæ pridie acta fuerat, quidquam audierant. Progressi obviam barbari, primò jaculis eminus, mox cominus lanceis & clavis utrumque peremerunt. Octava demum accessit victima P. Ferdinandus de Santaren. Is Guadianam pergens, rogatu sociorum deflexerat non nihil ex itinere, ut in pago S. Ignatii ad eam, quam sæpe dixi, celebritatem adesset. Fines Tepeguanorum ingressus, substitit parumper Tenerapæ, parabatque rem divinam facere. At desertum templum, aram everfam, direptas imagines sacras, & alia barbaræ impietatis vestigia intuens, mirari primò quid esset; Tum adversè aliquid suspicatus, abire festinabat. Indi, qui ex insidiis conspexerant venientem, profugum ad præterfluentem anem affecuti, circumstant infestis telis, Jumento dejectum nudant, vinciuntque. Rogat vir mitissimus, quid in ipsos commiserit, cujus luere poenam debeat. Respondent, satis ad necem causæ esse, quod Christianorum Sacerdos sit. Simulque impacta capiti trabe, aliisque impositis vulneribus, innocentem mactant. Corpus in profluentem abjiciunt.

Lugenda Societati profecto jactura tot Heroum fuit, lugenda novæ Cantabriæ, cui discussa errorum, ac vitiorum caligine, coeperant ostendere virtutis, ac veritatis lucem. Jam è Tepeguanis, & vicina regione, consuebant supra quinquagies mille capita sacro fonte conspersa. Jam gentem silvestrem è summis montium jugis in planitiem nostri contraxerant, ac pagatim vivere consueverant, eamque communis vitæ, ac religionis vinculo colligatam, in summa pace ac tranquillitate continebant. Præter tres majores, quos supra nominavi pagos, numerabantur minores vici quamplurimi, ad quos Indi è suis montibus ac silvis erudiendi identidem consuebant. Bellissimè demum succedebant omnia, cum messem penè maturam scelerati Præstigiatoris dementia, & perduellium furor evertit. Tamen jacturam hanc tantam citius quam putabatur reparavit Hispanorum virtus; tum etiam Patrum, qui casorum in locum suffecti sunt, industria. Statim atque indignam cædem fama vulgavit, Gaspar de Albear novæ Cantabriæ Gubernator, contracto undique Hispano milite, in regionem par-

Tò. I.

K 2

ricti-

220.  
Seditiosorum  
impietas in re-  
bus sacris vio-  
landis.

221.  
Necantur Patres  
Joannes à Valle,  
& Ludovicus  
de Alabes.

222.  
Tum PP. Joan-  
nes à Fonte, &  
Hieronymus de  
Moranta.

223.  
Postremò Pater  
Ferdinandus de  
Santaren.

224.  
Quam lugenda  
fuerit ea clades  
Christiana rei.

225.  
Perduelles  
poenas patri-  
cii luunt, omnia  
restituuntur in-  
pristinum.

ricidarum irrupit. Pars fuga dilapsi jam erant, fatis gnari non impune sibi tot scelera fore. Pars, ut est natio ferox, & bellis assueta, domandi variis præliis fuere. Præcipui perduellionis auctores capti, & in furcam acti sunt. Cæteris in montium interiora compulsis Prætor pacem offerri jussit per duos Societatis Patres, Andream Perez, & Josephum de Lomas. Barbari, qui malefactorum conscientia Hispanis se permittere non auderent, venerunt ad Patres turmatim, ferociam posuerunt, iisdemque deprecatoribus & sequestris, in fidem pristinam recepti fuerunt. Hinc reflorescere denuo Christiana res cœpit. Instauratæ sacræ ædes, suos in pagos Parochi restituti. Visa quin etiam religio ex illa clade vividior vegetiorque; haud equidem scias, utrum præsentium cultorum opera, an magis sanguine occisorum. Horum corpora tertium prope mensem insculta Prætor conqueri diligenter jussit, & honorificè in suis quaque Ecclesiis condi. At qui cæsi fuerant ad pagos S. Jacobi, & S. Ignatii, eorum quatuor corpora, quippe inventa labris omnis ac tabis, tanquam recenti cade, prorsus expertia, deferri placuit in urbem Guadianam novæ Cantabriæ primariam, ubi cum insigni honore excepta sunt, affusa obviam populi, & nobilitatis promiscua multitudine, tubis lituisque personantibus, ac festo campani aris, & tormentorum fragore latitiam publicam accendente. Ibi cum fuissent deposita in æde Societatis, reserato post aliquot annos sepulchro, inventa iterum sunt, non modo integra ab omni labe, verum etiam odore suavi fragrantia. Idem honor habitus viro maximè venerabili, P. Sebastiano Montano è sacro Prædicatorum ordine, quem ad Hispanorum stationes Rosarii propagandi causa profectum, similiter Tepeguani necaverant. Ejus autem corpus, non modo incorruptum, sed recentè perfusum sanguine repertum est: quodque auxit miraculum, adstabat prope codex quotidianæ psalmodiæ, ab imbris, qui trimestri illo spatio frequentes deciderant, omnino inviolatus. Quare idem postea corpus Mexicum translatum est, & in æde Fratrum suorum per quam honorificè conditum. Sed ut redeamus ad nostros, aliqua jam de singulis attingemus, ne quorum vigent nomina, virtutes in oblivione sint.

226.  
Quatuor corporum corpora post tres menses integra inveniuntur.

227.  
Similiter corpus Patris Sebastiani Montani ordinis Prædicatorum.

228.  
Elogium PP. Ferdinandi de Tovar, & Didaci de Orofco.

229.  
Et P. Bernardi de Cisneros.

P. Ferdinandus de Tovar patriam habuit Culiacanum, coloniam novæ Cantabriæ prænobilem, parentes genere inclutos, & cum Cardinali Duce Lermenfræcta propinquitate conjunctos. Erat ejus paterna domus commune ac dulce diversorium nostris Cinaolam ultro citroque commeatibus, unde illi adhuc puero datus locus cognoscendæ Societatis, & injecta mens amplectendæ. Ut adolevit, Mexicum studiorum causa missus, Societati se addixit anno ætatis xvii, spiritus, quos Ducis Lermæi favor non remere adpromittebat, honoribus. Inter nos ita vixit, ut Angeli cognomen, quod morum elegantia adolescenti fecerat, perpetuo retinuerit. Cumque dicendi facultate non vulgari polleret, ac posset in primariis urbibus elucere, maluit in missionum tutis utilibusque latebris delitescere. Suscepta cura novæ Cantabriæ, Acagæos primo, deinde Parras, demum Tepeguanos excoluit, quorum telis confixus, vitam Apostolicis ornatam virtutibus fortunatæ mortis laurea coronavit. Nondum annos quinque & triginta ætatis confecerat, duodevigesimalium agebat in Societate. P. Didacus de Orofco ortus erat Placentiæ in Hispania ex illustri atque opulenta familia, ornatissimeque fuerat egregiis à natura dotibus, ut si vellet caduca sectari, facile niti posset ad magnam excellentemque fortunam. Maluit paupertatem Evangelicam sequi in Societate, cui nomen dedit admodum adolescens. Profectus in Indiam, & ad Tepeguanos missus, laboris non adeo diuturni mercedem quam diximus accepit, anno ætatis undetrigesimo, ab inita Societate decimoquarto. Quatuor tantum annis major erat P. Bernardus de Cisneros, gente Hispanus, & paulo diutius in eadem missione versatus fuerat. De ejus fortitudine, charitate, patientia, multa ac præclara commemorant, quorum specimen sit quod subjicio. Delubrum extruxerat præpotens Indus, in eoque idolum collocaverat. Bernardus indignitatem non ferens, templum diruit, simulacrum comminuit. Ultionem paulisper distulit ferox Indus, opportunitatem sæviendi captans. Interim tem-

templum aliud in vicino pago molitus, novum in eo idolum constituit, Advolat iterum Bernardus, & licet periculi quod imminebat probè conscius, templum disjicit denuo, idolum contractum in rudibus sepelivit. Vindictam non ultra prorogavit efferatus ethnicus. Stricto ferro nec opinum invadit, impositisque pectori tribus plagis, confectum arbitratus, fuga se subduxit. Sacerdos medicorum ope convaluit, sed negatam tunc beatæ necis coronam, nunc feliciter est consecutus.

Patris Joannis a Valle virtutem præcipuis laudibus annales litteræ prosequuntur. Illud unum quantum veræ laudis habet, quod in legibus instituti nostri servandis adeo fuerit religiosus, & vigil, nullam ut violare visus aliquando sit! Inter Tepeguanos omnia vilissimi mancipii obibat munia. Idem terram aratro proscindere, eique mandare semina & fruges, quibus barbari alerentur; idem ligna in eorum usum domesticum cadere, & in tuguria comportare: idem operam ædificandis templis locare, adjutare fabros, prandium illis & coenam, suis manibus apparare consuevit. Cibos lautiores, Regis Catholici liberalitate sibi ad quotidianum demensum attributos, inter Neophytos dividebat, infulso ipse pulmento, aut herbis temerè collectis victitans. Illatas a barbaris injurias excipiebat mansuetudine incredibili, & beneficiis rependebat. Nec illa pauca fuerunt, aut leves. Recedenti aliquando ab ara, peracto sacrificio, gravem colaphum impius ganeo infregit. Procidit ipse in genua, & alteram genam feriendam obtulit. Sæpe male multatus fuit à latronibus, quorum scelera increpabat. Semel fuste impetitus à projectæ pudicitie muliercula, quam ex infami educere coeno moliebatur, iterum a nefario amatore, cujus è sinu pellicem detrahere tentabat. Nunquam ad hæc commoveri visus, nisi ut male de se meritis supra quam soleret bene ac benigne faceret. Patientiam voluntaria sui vexatione cumulabat. Somnus in tabula nuda, aut corio bubulo tantum instrata. Vestitus obsoletus, & plerisque locis pertusus: itinera longinqua, inter avia nemora, & ignotas solitudines: Juge cilicium, crebra, & cruenta corporis verberationes. Tempa struxit plurima, profanorum simulacra Numinum evertit, emendavit flagitia, odia, ac dissidia internecina composuit: qua in re tam feliciter Joannes versabatur industria, ut Joannes à Pace vulgo nuncuparetur. Erat Deiparæ cultor eximius, voveratque se nihil negaturum, quod ejus interposito nomine peteretur. Necem sibi à barbaris inferendam divinitus cognovit, eamque tribus ante mensibus amico per litteras significavit. Expleverat cum casus est vitæ annum quadragesimum, inita Societatis vigesimum decurrebat. Victoria, totius Cantabrie primaria civitas, illum inter cives suos numerabat.

P. Ludovicus de Alabes, nobili loco natus Guaxacæ in nova Hispania, simul ac per baptismum Christo renatus est, omnen quoddam & præfagium mortis pro ejus nomine obeundæ accepisse dicitur, descriptus in libro baptizatorum, non ut cæteri atramento, sed rubrica, & majoribus litteris: id quod quocunque vel casu, vel consilio fecerit Parochus, visum post ejus eadem vaticinii vim habuisse. Suam certe, ac sociorum necem præsciivit ipse divinitus, ac non obscure prædixit ante paucos dies. Dum enim ad aram operatur, auditus repente est, cum veluti extra se raptus in hæc verba prorumperet: *Ita ne omnes moriemur?* ac momento post: *Fiat Domine voluntas tua.* Quæ tunc quidem ad liquidum non intellecta, postea cognitum est quo spectarent. Quæcunque in Apostolico desiderari viro possunt virtutes, fuerunt in Ludovico summæ: animarum servandarum studium invictum, charitas erga barbaros inexhausta, insignis castimonia, conjunctio cum Deo, quem ubique præsentem intuebatur, assidua, erga Reginam virginum pietas singularis. Agebat annum ætatis vigesimum septimum. P. Hieronymus de Moranta lucem hauserat ante annos quadraginta in majore Balearum Insularum: viginti annorum erat, cum Societati se tradidit. Missus in novam Hispaniam, datusque P. Joanni à Valle socius & adjutor, in Tepeguanorum salutem indefessus incubuit. Mira inter ambos intercedebat contentio, uter alterum patientia, charitate, studio religionis ampli-

230.  
Elogium P. Joannis à Valle.

231.  
Elogium P. Ludovici de Alabes.

232.  
Et P. Hieronymi de Moranta.

plificandæ superaret. In quo certamine sic alter alterum æmulabatur, ut nemo vinci videretur. Morantæ apud Hispanos tam præclara erat existimatio, ut eum non alio fere quam sancti nomine designarent. Moriturum se fidei causâ sepius audierat à Ven. Fratre Alphonso Rodriguez, semel etiam à P. Richardo Haller Germano, qui cum magna sanctimoniam fama vixit, obiitque Matrili.

233.  
Elogium Patris  
Ferdinandi de  
Santaren.

P. Ferdinandi de Santaren clarum erat Optæ genus in Celtiberis. Educatum in collegio, quod ibidem maternus ejus avus Societati fundaverat, in eam deinde receptus est, & Indicæ missioni, quam summis precibus flagitaverat, datus. Miram ad Evangelicas expeditiones indolem ac facultatem in ipsâ statim navigatione ostendit. Vectorum nautarumque controversiæ omnes ad eum, licet nondum sacerdotio insignitum, deferebantur, ex ejusque sententia ratæ ac decisæ habebantur. Eiusdem concionibus plures in navi simulatas & rixæ extinctæ sunt, ludi vetiti, voces impiæ, aliæque vitia sublata. Delatus Mexicum, & sacris initiatus ordinibus, mittitur in Cinaloam, quam primus cum P. Gondifalvo de Tapia per biennium excoluit. Transiit inde ad montes Topios: gentem in eo tractu longè deterrimam, Parras, Acagæos, Xiximos, Naparæos, Tepeguanos, & Papudos, incredibili labore cicuravit, eos denique hominum, imò Christianorum ritu vivere docuit, qui antehac propiores feris erant. Quis jam itinerum molestias satis explicet! Non æquabili ducitur jugo ea montium catena, sed pluribus assurgit verticibus, quos convalles præruptæ horribilesque determinant. Per hæc inhospitalia & inaccessa loca perpetuò discurrebat Ferdinandus, sæpe reptans verius quam incedens, nunc invios pervadens saltus, nunc torrentes amnesque rapidos, ac visu formidolosos vado trajiciens. Tanto labori fructus respondit. Amplius quinquaginta Ethnicorum millia vitalibus baptismi aquis tinxisse fertur. In pagos amplius quadraginta deduxit Indos, è montium latibulis detractos, & ad vitæ socialis formam congregatos. Idolorum vim innumerabilem confregit: superstitiones, veneficia, & alia portentosa flagitia sustulit. Conjuratos in Christianum & Hispanum nomen barbaros non semel ad pacem & concordiam flexit, furentibusque odium ex animo, arma de manibus extorsit. Magnum addebat ejus verbis pondus perspectus virtutis, ac præsertim castimoniam singularis nitor, quod ille lilium incredibili cura custodiebat. Ad necessarias ministerii sui molestias quotidianum flagrorum usum, & alios corporis afflictiendi modos adhibebat. Parcissimè victitabat, nec præter frumentum, indicum, phaseolos, aut cucurbitas, quidquam lautioris obsonii ad reficiendas vires admittebat. Deum loquebatur, spirabat, cogitabatque unum, nec tan unum orationis tempore ac loco, sed in medio negotiorum & occupationum æstu, ac tumultu. Hinc illa quasi faces, quibus homines etiam perditissimos pietatis studio incendebat. Vixit annos quinquaginta & unum, quorum tres & viginti exegit in difficillima missione Topiana. Sed de Mexicana Provincia satis.

234.  
RES PROVINCIÆ  
PERUANÆ.  
Deteguntur oc-  
cultæ supersti-  
tionis reliquæ,  
& exciuntur.

A Mexico si descendas ad dexteram, & mare Pacificum, occurret Peruvia, dives auri argentique regio, & ærarium Hispaniæ. De ea nunc disserendum. Hoc anno in variis excursionibus e collegio Limano susceptis, maxima fuerunt affecti voluptate Patres, quod plerisque in locis, ubi nefarius Demoni cultus olim tribuebatur, nullum pristinae impietatis vestigium extaret. At Sociis Cuzquenibus magnam moverunt admirationem repertæ non procul speluncæ, ac templa subterranea, in quibus animarum sempiternus hostis audiendum se miseris mortalibus, ac videndum identidem præbebat, eorumque donis & adoratione fruebatur. In iis antris publica veneratione consecratis, inventa est magna vis auri, argenti, & gemmarum, quibus Indigenæ Principem tenebrarum demereri, ac sibi suisque conciliare nitebantur. Jussere Patres obstrui feræ cavernas; allatæ autem ex oppido Cruces splendido cum apparatu in speluncarum culmine sunt collocatæ. Tum ad convellendas penitus occulti mali radices, Squillacensium Princeps Franciscus Borgia Prorex duo de novo domicilia construxit prope Limam, quorum in altero alerentur nobiliores adolescentes, ac præcipuè Caziqiuorum, idest Principum, liberi; in altero tanquam in honesta custodia deti-

detinerentur, qui deprehensi posthac essent Idolorum Sacerdotio perfungi. Utrumque mox Societati administrandum commisit. Interim Patribus collegii Potosini non deerat laboris ampla materies, tum in frequentissima civitate, tum etiam in officinis metallicorum, quæ sunt ibi plures, & magnæ celebritatis. Multa Hispanorum, plura Æthiopum millia circa fodinas auri argentique defudabant, rudes plerique, inculti, & rerum divinarum penitus incuriosi. Singulis hominum generibus certæ sunt constitutæ sodalitates, in quibus ad pietatem informarentur. Aderant præterea Mercatores Europæi plures, qui de lucro magis, quam de salute sempiterna solliciti, haud facillè ad cœlestium opum desideria erigebantur. His ut consuleretur, quæstiones de moribus, & leges negotiationum explicari coeperunt, in quibus interpretandis sua cuique utilitas esse lex & magistra consueverat. In collegio Arequipensi pia sodalitas ex mulieribus est conflata, novo quidem instituto, sed ad fovendam promovendamque in familiis pietatem utilissimo, ut demonstravit orta statim inter viros & mulieres præclara contentio, cum neque viris femina, nec his vicissim illi de virtutis studio concederent, sed se invicem superare certarent. In sodalitijs adscribi voluerunt nobilissimæ quæque civitatis feminae, quarum cum essent exempla illustriora, earum pietas & modestia, non in ipsarum duntaxat domos, sed in universam plane urbem manavit. Ex oppido S. Crucis itum est ab Hispanis hoc anno ad novas indagandas provincias. Silvestres homines, & feris bestiis quam hominibus similiores sunt inventi, qui humanis carnibus vescantur. Aderat in comitatu Hispanorum noster Sacerdos, qui non paucos ex ea gente in Ecclesiæ gremium induxit. Narrabant hi Neophyti, in provinciis proximioribus Cuzquios quinque & quadraginta numerari, hoc est Regulos totidem, & provinciarum Principes; esse autem in propinquo montes auri argentique feracissimos. Quod ut cognovit Hispanus Prætor, futurum sperans ut Mercatores, lucri cupiditate illecti, penetrarent in illam amplissimi soli vastitatem, ejusque barbariem abstergerent, scripsit ad nostrum Provincie Peruanae Præpositum, enixè petens strenuos Evangelii ministros, qui cœlestis doctrinæ thesauros genti miseræ ac destituta importarent. Advolarunt impigri operarii, magnamque ejus terræ partem vitii, & superstitionibus silvescentem paulatim Christo subjecerunt.

Peruvia ad latus septentrionale adjacet novum Granatæ Regnum, ita dictum à Granatensi cive Gonzalo Ximenio de Quesada, qui primus eam terram detexit, & Regis Catholici dominio subjecit. Per ampla est regio, & frugum omnis generis ferax. Regni caput urbs Archiepiscopalis S. Fidei, & sedes supremi tribunalis, quod Hispani Regium Auditorium vocant. Pars antea fuerat apud nos novum Regnum Provincie Peruanae. Sed cum longius abessent a Peruvia finibus urbs S. Fidei, & nova Carthago, quam ut possent à Peruano Præposito commodè administrari, partem detraxit Claudius Generalis, additque novo Regno domicilia Quitensi, & Panamensi, novum & separatum Provincie corpus confecit, à novo regno appellatum. Sectum deinde est iterum istud corpus, quia amplum nimis, & immenso spatio diffusum, coaluitque quam nunc Provinciam Quitensem dicimus. Provincie novi regni præerat hoc tempore P. Gonzalus Lyra, Patri Didaco de Torres primo ejus moderatori, atque ut ita dicam, Parenti successus. Lyra autem præfecturam obtinente, aliæ atque aliæ Societati sedes acceverunt. Non longe à metropoli S. Fidei Tungia erat, Hispanorum ampla colonia, locuples, frequens, & copia ædificiorum nulli secunda. Cives incensi desiderio habendi apud se stabilem Societatem, domicilium offerebant. Accepit donationem Lyra, & Tungia domum probationis constituit. Caxicæ postmodum, Duitamo, & Fontibonæ, quæ oppida sunt non ignobilia, Socios dedit, qui Curias administrarent: ea tamen lege dedit, ut essent revocandi, simul ac ex educatis in seminario S. Fidei adolescentibus suppetere Sacerdotes, quibus curiale ministerium tutò committi posset. Namque id Claudius Generalis sanxerat, id usu receptum erat. Interim in iis locis licuit agnoscere, quantum intersit inter bonos Pastores, & mercenarios,

qui-

235.

Patres Potosini pietatem inter metallicos & mercatores promovent.

236.

Mulierum sodalitas in collegio Arequipensi excitatur.

237.

Novæ deteguntur gentes, & à nostris hominibus excoluntur.

238.

RES NOVI REGNI. De divisione hujus Provincie à Peruana.

239.

Tungia, & aliis in locis novæ sedes Societati tribuuntur.

240.  
Mores emenda-  
ti gratuito mi-  
nisterio nostro-  
rum Parochia-  
rum.

241.  
In urbe S. Fidei  
fodalitium ma-  
gnæ utilitatis  
instituitur.

242.  
Archiepiscopus  
Sanctæ Fidei li-  
beraliterat Reg-  
is implorat er-  
ga nostros.

243.  
De cura Æthio-  
pum, quam  
Carthagine ge-  
rit Societas.

244.  
Hoc ministe-  
rium primus su-  
scipit Pater Al-  
phonfus Sando-  
vallius, deinde  
P. Petrus Cla-  
ver.

quibus non est cura de ovibus. Brevi temporis spatio pellicatus, ebrietas, & alia prope communia gentis mala, ex magna parte sublata fuerunt. Multi, quos absterruerat hæcenus à baptismo metus, ne stipem Parocho dare cogeren- tur, certi jam à novis Pastoribus nihil exigi, ultro se iniciandos offerebant. Erant qui infandos exercuerant pellicatus matrimonii nomine, ne si nuptias rite contraxissent, honorarium Curioni deberent. Hoc nunc metu soluti, & gra- tuita nostrorum opera illecti, flagitiosas consuetudines sancto nuptiarum vinculo commutabant. Per hæc in urbe S. Fidei vigere coepit magna utilitatis & pre- tii fodalitium, a Rectore collegii P. Ludovico Santillano institutum. Ei qui aggregantur sodales, Christo in Sacramento latenti sese mancipio dedicant. Ad- lecti sunt in piam fodalitatem honestissimi civium, ac sæpe de sacrificio partici- pationis, sæpius ante incruentam victimam precando consistere, quotidie aliquam temporis partem cœlestium meditationi tradere, sibi in leges induxerunt. Hinc manante ad reliquam civitatem exemplo, mira morum conversio, & alia prope facies in urbem inducta. Gestiebat gaudio hæc videns Archiepiscopus Bartho- lomæus Guerrerus: at simul gravissimam nostrorum inopiam miserabatur, qui adhuc omni certo proventu destituti, ad quotidianos vitæ sumptus stipem offitiam corrogare cogebantur. Quare litteras ad Regem dedit graves, & effi- caces, quibus regiam erga illos liberalitatem implorans, totidem verba subicie- bat: „ Magno Rex obsequio Deum promerueris, si Patribus Societatis in hoc Regno summa rei familiaris angustia laborantibus, benigne dabis unde vivant. „ Nam vere is ordo præcipuo studio laborat, ut animum Majestatis Tuæ multis ex hispanicis latine reddita.

Sed nihil adeo ad salutem animarum quætuosum in novo Regno susceptum, ac procuratio Æthiopum, de qua nunc paulo copiosius differendum. Inter præ- cipuas Regni urbes numeratur nova Carthago, Emporium totius Americæ ce- leberrimum, & caput negotiationis, quam exercent Europa atque Africa in- America, & ipsa Americana provinciæ inter se. Præter alias merces, plura huc ex diversis Africa oris importari solent Æthiopum millia, quorum prostant in quibusdam veluti promptuariis venales greges, & à Mangonibus in omnes con- tinentis provincias quæstu maximo disperguntur. Istorum curam gerit Societas, estque semper in collegio Carthaginenli Sacerdos huic ministerio additus. Ut appulere ex Africa naves, accurrit ad portum Sacerdos, Æthiopum recenset numerum, omnes amice alloquitur per interpretem, pomis, icunculis, aliisque munusculis inescare, & conciliare sibi studet. Qua die sunt e navibus educen- di, adest iterum Pater: ægros, quorum ob cœli mutationem, & navigationis incommoda, magnus semper numerus, componit in vehiculis ad hunc usum paratis, omnes ad domum eorum custodiæ destinatam deducit. Ibi prima cu- rarum est, ut certa consignentur tessera, tum quos fuisse baptizatos, tum quos non fuisse constet, atque illi demum, de quibus neutrum pro certo con- stitui possit. Singulos ergo tandiu interrogat, donec eliciat, ad quam quisque classem pertineat ex illis tribus. Tum plures continenter dies, ad captum tam rudium ingeniorum verba faciens, docet illos publice ac viritum, quid crede- re, quibus deinceps moribus vivere debeant. Postremo, ubi satis instituti vi- deantur, eos omnes baptismo, ut opus fuerit, vel certo, vel interposita con- ditione, Christianos facit. Hanc Æthiopes curandi rationem sapienter instituit vir magni inter nos nominis P. Alphonfus Sandovallius, qui cum eorum curam primus suscepisset, eandem gerebat hoc ipso tempore, non labori, non indu- striæ parcens, ut quam maximum ex ea fructum legeret. Neque vero intra præsens tempus se continuit Apostolici viri charitas inexhausta; sed ad succes- sorum utilitatem transit: scripsit enim de modo erudiendi Æthiopes volumen uti- lissimum, quod in eandem postea procuracionem suffectus Ven. Petrus Claver, ut aureum opus laudare, ac sequi consuevit. Porrò quam utile sit ministerium, vel ex eo conjici velim, quod toto decennio Sandovallius Æthiopum triginta mil-

millia salutaribus baptismi undis asperfit: successor vero Claver, intra annos quadraginta, baptizasse dicitur suis manibus trecenta millia, & si quid amplius. Sed tam uberi fructui non impar esse solet labor & patientia cultoris. Agendum cum hominibus supra quam credi possit, non agrestibus tantum & barbaris, sed omnis ferme humani sensus expertibus. Ferenda eorum barbaries, stoliditas paulatim subigenda. Eorum alloquio & consuetudine nihil molestius. Nullo percelluntur horrore cujuslibet immunditiæ, nec secus quam bruta animantia in sordibus volutantur. Accedit quod sæpe inter navigandum replentur ulceribus, non minus foedi aspectus, quam odoris intolerandi; ut eos adire propius, & alloqui natura ipsa refugiat. Accidit aliquando, hospitem quempiam ad eos inspiciendos admissum, illato vix pede in conclave tam foetidum, totque infectum sordibus, loci graveolentia corruisse exanimi similem, aut nausea correptum vomuisse. Verum quæcunque ea sint, non absterrent Evangelicam charitatem, quæ patiens, quæ benigna est, & his maximè deliciis oblectatur.

Altera Peruanæ Provinciæ pars olim fuerat Paraquaria, ad australem ejus plagam posita. Divisa fuit anno labentis sæculi octavo, & in separatam Provinciæ corpus erecta. Ea nunc Tucumaniam complectebatur, & Chilenum regnum, quod similiter divisum, peculiarem postea Provinciam conflavit. Paraquaria propriè dicta jacet infra Brasiliam secundum littoralem oram, & in continentem, occasum versus, longe porrigitur. Tucumania Paraquariam spectat ad septentrionem, Terram vero Magellanicam ad meridiem. Chilense regnum ad mare Pacificum longo, sed angusto tractu, à septentrione ad meridiem extenditur. Paraquariam ingressa Societas ante annos ferme triginta, magnam indigenarum partem Christianæ vitæ moribus ac præceptis informaverat. Sed nunc difficili admodum loco res ejus erant, ob Hispanorum infectationes & odia, quibus impediabatur, ne sua ministeria usitato cum fructu obiret. Res est altioris indaginis, & in quinta hujus Historiæ parte prolixè tractata, \* de qua propterea nihil ultra dicam, nisi quod in ea rerum jactatione ac tumultu causæ bonitas, & rectè factorum conscientia, magno nostris solatio erat. Namque id demum agebant Patres, ut miseros Indos, contra fas, contra jus, contra iterata Regum Catholicorum edicta oppressos, impotenti Colonorum dominatu eximerent, Christianoque pariter, & Hispanico nomini conciliarent. Quiddam accidit circa hunc annum, unde colonorum in nos acerbitas majorem in modum recrudit. Duo erant ad Paraquariæ ripam oppida, ascendentibus adverso flumine millia passuum fere centum ab urbe Assumptionis. Oppida Neophytis Ethnicisque mixta nostri in rebus sacris administrabant. Multum ibi profecerant hæcenus, plus profecturi videbantur in posterum, si diutius manerent. Omnia momento perdidit colonorum inexplebilis avaritia. Conabantur illi oppidanos in personalem, ut ajebant, famulatum abripere, nihil pensi habentes, quod eam immanitatem Rex edicto recentissimo vetuisset. Conatibus iniquis obstiteret nostri pro viribus, & reipsa ne quemquam abducerent prohibuerunt. Nihil avidis prædonibus accidere gravius poterat. Efferati, & passim quiritantes, non licere sibi per Jesuitas uti jure suo, civiles sacrosque Magistratus incitant, ut nostros inde dejeciant. Dejecti sunt Patres; sed ipsi abeuntibus, oppidani quoque, vacuis relictis ædibus, alii aliò dispersi sunt: quippe tolerabilius rati in silvis ferarumque latibulis vitam agere, quam sub iniquis dominis duram servitutem servire. Adeo ex rebus omnibus sua cuique libertas carissima, & pretiosissima est.

Pari invidia laborabat in Chileno Regno Societas, ob eandem causam. Unus tamen odii molem sustinuit P. Ludovicus Valdivia, ingens toto illo terrarum tractu nomen, nec unquam sine honoris præfatione memorandum. Nemo fortius liberiusque libertatem Indorum tutatus fuerat hæcenus: nemo conatus improborum, qui ex illis in servitutem abreptis quæstum iniquissimum faciebant, retuderat majori spiritu, atque constantia. Quare eum unum, quippe integræ fidei, & animi contra vulgi clamores imperterriti virum, delegerat nu-

To. I.

L

per

245.  
Cujus laboris & molestiæ sit ea procuratio.

246.  
RES PARAQUARIÆ.  
Societas Hispanis odiosa, quia Indorum libertatem tuetur.

\* Lib. xiiij.  
§. xii.

247.  
Hispani nostros deturbant ex duobus oppidis: oppidani in silvas dilabuntur.

248.  
In Regno Chileno P. Ludovicus Valdivia Indigenas tuetur auctoritate Regis Catholici.

249.  
Propterea in-  
vis colonis, &  
calumniis appe-  
titus.

250.  
Redire cogitur  
in Hispaniam,  
ubi remanet re-  
liquo vita tem-  
pore.

251.  
Indicantur Val-  
divia præclara  
merita in Socie-  
tatem & Re-  
gem.

252.  
RES BRASILIÆ.  
Societas in in-  
vidiam adducta,  
quia libertatem  
Indorum defen-  
dit.

253.  
Occupatus falsa  
relatione Rex

per Rex Catholicus, ut novas de Indigenarum manumissione leges in Chilensi Regno promulgaret. Verum ut innotuit quæ Valdivia accepisset à Rege mandata, vix credibile quantum exarserit quidquid usquam Hispanorum erat. Omnes in ipsum, veluti hostem publicum, & odiosæ novitatis auctorem, atrociter confurrexerunt, nec eum insectari destiterunt, nisi cum traditam à Rege procurationem deposuit. Quod aperta vi non sperabant successurum, fraudibus & calumniis pervicerunt. Provinciam Paraquariensem regebat P. Petrus de Ognate, vir ille quidem egregius, sed fortasse plus aquo meticulosus, credulus certè, & in accipiendis accusationibus non satis cautus. Hunc Hispanorum præcipui, & nobis in speciem amicissimi, falsis implent suspicionibus contra Valdiviam, quasi licentius ageret interdum, & amicitias coleret parum castas. Mulierculas deinde subornant, quæ confictam fabulam aptis delationibus prosequantur. Provincialis, etsi talis viri integritate occupatus causæ cognitionem non institueret, eum tamen privatim increpuit quasi fontem, certas leges ne transiliret admonuit, injectis denique præceptorum vinculis agendi libertate, privavit. Valdivia, adversus alias malevolorum obtrectationes ad illam usque diem invictus, hujus mœrorem calumniæ, & tam turpe de se judicium moderatoris sui ferre non potuit. Causatus itaque, eas præceptorum pedicas impedimento sibi esse, ne regia jussa exequeretur, in Hispaniam navigavit, Philippo III. Regi, ejusque consilio Indico rerum a se gestarum rationem explicaturus. Matriri auditus est cum eximia approbatione, & laude. Sed cum simul venissent ad Præpositum Generalem crebra Sociorum litteræ, in quibus erat, interesse plurimum Societatis, ut nec ipse, nec alius nostri ordinis quisquam ad procurationem ejus generis destinaretur, ejusdem Generalis industria detentus est in Hispania. Nec ille mansit invitus. Oblatum tamen à Rege locum inter Senatores consilii Indici modestissimè recusavit, maluitque, aula relicta, Valisoletum concedere, ubi conscribendis libris, & proximorum moribus regendis intentus, supremum diem explevit anno MDCXLIV. Ita improborum fraudulenti livor ademitt Chilensî regno virum de Rege, de re publica, de Societate optime meritum. Non tamen obscurare ejus famam, aut imminuere potuit. Prius etiam quam in Hispaniam solveret, qui auctores accusationis fuerant, adacti conscientia sceleris, fraudem coram idoneis testibus confessi sunt, & calumniam innocenti irrogatam retexuerunt. Valdiviam Neophyti, ut defensorum acerrimum libertatis suæ, diligebant in parentis loco. Ejus consilio, & opera, ferocissimi populorum, bellum jam tot annos cum Hispanis gerentes, sæpe victores, semper indomiti, & armis fortè nunquam domandi, sine cæde & sanguine in jus Catholici Regis transierunt. Ad quinque millia fuisse dicuntur, quos suis ipse manibus baptismo consignavit. Nec ei parum Societas debet. Collegium in oppido Conceptionis ejus præsertim industria fundatum est. Idem in præcipuis Hispanorum castellis plura constituit Sociorum paria, unde in præsidarios, ac totam viciniam haud levis utilitas derivata. Callebat Chilensium linguas tres adeo perfecte, ut eas in artem ac methodum redegerit.

Inter Paraquariam, & flumen Amazonum, immenso tractu diffunditur Brasilia, Lusitani dominiî regio in America ferax opum, & Provincia Societatis amplissima. Hic quoque odiosam colonis fecerat Societatem defensa Indigenarum libertas, & iniqua vis a miseris propulsata. Actum proinde hic quoque mendaciis & strophis contra nos, nec sine aliquo, saltem ad tempus, successu. Rexerant nostri hæcenus in rebus sacris plerisque Neophytorum greges, labore & industria sua collectos in oppida, & ad formam civilis Christianæque vitæ traductos. Caræ oves Pastoribus, carissimi ovibus Pastores erant. Sæpe Lusitani, augendæ rei studio, Indis simplicibus insidias struebant. Semper ad Indorum custodiam excubabant Patres, vim apertam arcebant, dolos eludebant, fortunas eorum & libertatem à raptoribus tuebantur. Id ægrè ferentes Mangones improbi, semel, atque iterum populari impetu coorti sunt contra invisos Patres, ut eos a suis curiis depellerent. Seditione a Magistratibus semel iterumque

.com-

compressa, dolis grassari nihilominus statuerunt. Præter alia invidiosius confecta, latè spargunt, & ad aulam usque Matritensem transmittunt, ex oblationibus Neophytorum redire ad Societatem quotannis magnum, ac prope incredibilem argenti numerum, qui in regium ararium inferri melius posset: quæ ratio fidem cum invenisset Matrity, Rex adimi nostris curias, & aliis Sacerdotibus committi iussit, triumphantibus gaudio prædonibus inhumanis, quos à vexandis, abripiendisque in servitutem Indis nulla in posterum res detereret. Sed nec diurna fuit lætitia, & spem impiam fefellit exitus. Novus Brasiliæ Gubernator Gaspar de Sofa, statim atque in provinciam venit, & res perspicere per se potuit, falsa esse videns quæ ad aulam fuerant delata, ita Regi perscripsit, ut persuaserit, interesse publicæ rei, tum civilis, tum sacræ, curias ut antea per homines Societatis administrari. Nam ad emolumenta quod attinet, nulla hæc esse ajebat, præter amplificationem divini cultus, & animarum salutem, quibus rebus studerent unicè Patres Societatis. Periculum verò esse, ne destituti Patrum suorum ministerio Neophyti, refugiant iterum in interiora regionis, quæ fuga insignem sanè plagam regis vectigalibus infligeret. Acquievit Sofæ rationibus & auctoritati Rex: Patres in possessione curiarum sunt relicti: Colonorum animi paulatim patientia mitigati. Ad demerendas eorum voluntates nonnihil valuit charitas, quam eodem hoc anno, grassante per Brasiliam pestilenti lue, nostri languentibus impenderunt. Nullam illi quidem prætermiserunt industriæ partem, qua prodesse miseris possent. Diu noctuque obibant omnium testæ, omnibus remedia corporis animæque circumferebant, nulla laboris intermissione, nullo respectu valetudinis suæ. Quo tempore circa Bahiam (sic vulgo nominant urbem S. Salvatoris Brasiliæ primariam) res accidit ad memoriam insignis. Neophytus nomine Antonius, etsi tabe penè consumptus, irrepererat in vicinam silvam, ut herbam nescio quam salubrem exquireret. Ibi defectus viribus, corruit semianimis. Dum ægrè animam trahit, jacenti ac morienti visus adesse vir gravi & liberali aspectu, Franciscanorum indutus tunica, qui foniculum indicans occulta scatebra in proximo subilientem, jubeat ex eo ut biberet. Evanuit momento species. Æger sensibus redditus, & fontem vidit, & ejus haustu convaluit. Non tamen in ea curatione virtus monstrati fontis exhausta. Re vulgata, fit ad saluberrimam aquæ venam agrorum ingens concursus. Omnes valetudinem recipiunt. Nulli fuit dubium, quin auctor prodigii esset magnus ille Antonius, quem nos à loco tumuli Patavinum dicimus. Ab eo itaque inditum novo fonti nomen, quem post illud tempus Indigenæ fontem S. Antonii appellaverunt.

Interea quem diximus Gaspar de Sofa Brasiliæ Prætor, suscepta difficillima expeditione ad Maranonios, rem antea frustra tentatam mira felicitate confecit: unde in illa terrarum parte longè prolata fines Lusitani imperii, & Evangelii Præconibus latissimus ac novus ager ad excolendum apertus. Gloriosum Lusitano nomini, faustum religioni facinus, & in quo nonnullæ fuerunt Societatis partes, paulo diligentius exponam. Quæ proprio nomine Maranion dicitur, insula est admodum brevis, sex circiter millia passuum distans a septentrionali continenti Brasiliæ. Insulam facit, & nomen ei præbet Maranion, alvei ingentis amnis, cujus deinde aquas excipit flumen Amazonum. Patet in longum, millia haud amplius quinquaginta, lata plus minus duodeviginti. At inde fecus oram fluminis, sub ipsa æquinoctiali linea, in immensum excurrit ampla regio, quæ nunc Præfectura Maranonia dicitur. Accolunt feroces populi, & ante tempus de quo scribimus, adhuc ignoti. Hanc terræ plagam Sofa subicere Lusitano juri cum statuisset, eo consilio classem instruit novem bellicarum navium, classi quadringentos veteranos milites, & ex Neophytis delectos sagittarios trecentos imponit, duce Alexandro de Mora, perito belli viro. Addit duos Societatis Patres, Emmanuelem Gomez, & Didacum Nunez, ad regendos Neophytos: namque his opus erat in primis, non tam ad vim, si qua fieret, repellendam, quam ad demulcendos barbaros, eosque Lusitano nomini

To. I.

L 2

con-

adimi nostris jubet curias Neophytorum.

254.  
Sed detecta  
mor fraude,  
mutat sententiam.

255.  
Grassante per  
Brasiliam lue,  
nostri languentibus  
opitulantur.

256.  
Fons aquæ  
saluberrimæ a  
S. Antonio nuncupatus  
quomodo inventus sit.

257.  
Lusitanorum  
expeditio in  
Maranionem.

258.  
In eandem expeditionem  
proficiscuntur duo  
Patres Societatis.

conciliandos. Cum hoc apparatu ventum est ad Insulam Marañoniam, quam tunc forte cum valida arce obtinebant Prædones gente Galli, secta Calviniani. Ut stetit in conspectu classis, denunciatum est Prædidiariis, ut deditionem facerent; præfinitumque temporis angustum spatium, intra quod nisi fecissent, omnibus moriendum esset. Conterriti denunciatione Prædones, nec ignari, vires Lusitano esse ad perficienda quæ minabatur, pacti tutum in Galliam reditum, arcem tradidere. Capta in hunc modum, & pacata insula, in proximam continentem progressi sunt Lusitani, duce Francisco Caldeira, ac porrò tendentes per millia passuum ducenta circiter & quadraginta, venerunt ad ostiæ ingentis fluminis, quod ob immensam aquarum molem incolæ sua lingua appellant *Para*, idest mare. Ibi meram solitudinem nacti, castellum opportuno ac munito loco extruxerunt, ut eo veluti frano contineretur circumposita regio, quam successu temporis coloniis occuparunt Lusitani, Christi cultu Societas illustravit, ut suo deinceps ordine narrabitur. Nunc initium religioni disseminandæ factum in ea quam dixi insula. Neophyti ex Brasilia adducti, ut facile convenit inter homines ejusdem gentis & linguæ, Indigenas ad audiendam ex Patribus cœlestem doctrinam trahebant. Auditam probabant illi vehementer, multi amplexabantur, & baptismi sacris initiari postulabant. Erat omnino fructus supra expectationem, ac prope supra spem. At Patres in Brasiliam quam mox ex præscripto sui Præsidis redituri, cum non haberent in ea temporis brevitate cui initiatos committerent, non audebant fidei sacramentum adultis impertiri. Tantum confirmabant illos in suscepta fide, spem certam facientes, vel se, vel certè alios de suo cœtu propediem reversuros. Sustinerent interim haud longam moram, perstarent in proposito, dignos se cœlesti dono præstarent: Brevi omnes, non voluntate solum, sed etiam baptismis Christianos fore. Quod licuit, nonnullos ex moribundis infantibus salvari lymphâ asperferunt, ac velut ejus terræ primitias in cœlum transmiserunt. Cruces multis in locis erexerunt, sacras imagines adorationi publicæ proposuerunt. Acceperunt a ducentis usque millibus passuum legationes populorum, ut ad eos erudiendos accederent comprecantium: nec tamen licuit tam æqua postulantis satisfacere. Urgebat quippe lex obedientiæ, quæ Patres ibi diutius immorari vetabat. Usi igitur opportunitate classis inde solventis, Pernambuco, unde discesserant, redierunt.

259.  
Prima religionis  
femina jaciuntur  
in Marañon.  
ne.

